





N. 3.





4

ARTICULI  
AUGUSTANÆ  
CONFESSIO-  
NIS,  
DE  
MUTATIS  
ABUSIBUS,

VII. *Dissertationibus Publicis*  
In Academia RINTELIENSI

Præpositi

à

JOHANNÉ KAHLER,  
S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primar.  
& Mathemat. Ordinar.



RINTELI,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.  
An. M DCC XI.



ARTICULI  
AUGUSTANA  
CONFESSIONIS  
DE  
MUTATIS  
ABUSIBUS.

VII. Dissertationibus Publicis  
In Academia RIVTILINSI  
Responsa

IOHANNES KÄHLER,  
S. Theol. Doc. quondam Profr. Primar.  
& Mathematic. Ordinari.

EXCERPTA  
ALTISSIMA  
Typis Hermannii Augustini ENCK, Acad. Typogr.  
ANNO MDCCLXXI







---

DISSERTATIO PRIMA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFESIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS

Continens

Articulum I.

DE

UTRAQUE

SPECIE S. COENÆ,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNE KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primario,  
& Mathemat. Ordinario.

*Publica Eruditorum Disquisitioni subjecit*

GEORGIUS LUDOVICUS KAHLER,

Rinteliensis.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad d. 31 Januar. An. 1711.

---

Articuli in quibus recensentur

ABUSUS MUTATI.

**C**um Ecclesia apud nos de nullo articulo fidei dissentiant ab Ecclesia Catholica, tantum paucos quosdam abusos omittant, qui novi sunt, &

A

-com-



contra voluntatem canonum vitio temporum recepti; rogamus, ut Casarea Majestas clementer audiat, & quid sit mutatum, & quæ fuerint causæ, quò minus coactus sit populus illos abusus contra conscientiam observare. Nec habeat fidem Casarea Majestas istis, qui ut inflamment odia hominum adversus nostros, miras calumnias spargunt in populum. Hoc modo irritatis animis honorum Virorum initio præbuerunt occasionem huic dissidio, & eadem arte conantur nunc augere discordias. Nam Casarea Majestas hanc dubie comperiet, tolerabiliorem esse formam & doctrinam, & ceremoniarum apud nos, quàm qualem homines iniqui & malevoli describunt. Porro veritas ex Vulgari rumoribus aut maledictis inimicorum colligi non potest. Facile autem hoc judicari potest, nihil magis prodesse ad dignitatem ceremoniarum conservandam & alendam reverentiam ac Pietatem in Populo, quàm si ceremoniæ ritè fiant in Ecclesiis.

## ARTIC. I.

## DE

## UTRAQUE SPECIES. COENÆ.

**L**icet datur utraque Species Sacramenti in Cæna Domini, quia hic mos habet mandatum Domini, Matth. XXVI. Bibite ex hoc omnes, ubi manifestè præcipit Christus de poculo, ut omnes bibant, & ne quis possit cavillari, quod hoc ad Sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet, totam Ecclesiam utraque specie usam esse. Et diu mansit hic mos



mos in Ecclesia, nec constat, quando, aut quo autore mutatus sit, tamen si Cardinalis Cusanus recitet, quando sit approbatus. Cyprianus aliquot locis testatur, populo sanguinem datum esse. Idem testatur Hieronymus, qui ait, Sacerdotes Eucharistiæ ministrant, & sanguinem Christi populis dividunt. Imò Gelasius Papa mandata, ne dividatur Sacramentum, Dist. 2. de Consecratione Cap. Comperimus. Tantum consuetudo non ita vetus aliud habet. Constat autem, quod consuetudo contra mandata Dei inducta non sit probanda, ut testantur canones, Dist. 8. C. Veritate, cum sequentibus. Hec verò consuetudo non solum contra Scripturam, sed etiam contra Veteres Canones & Exemplum Ecclesiæ recepta est. Quare si qui maluerunt utraque specie Sacramenti uti, non fuerunt cogendi, ut aliter facerent cum offensione conscientie.

Et quia divisio Sacramenti non convenit cum institutione Christi, solet apud nos omitti processio, quæ hæctenus fieri solita est.

S. I.



**P**rior Augustinæ Confessionis pars Articulos fidei exhibuit, ex quibus constare potest, Protestantes Ecclesiæ Catholicæ fidem profiteri, nec ab ea recessisse. Hac verò posteriori parte commemorantur *abusus* in Ecclesiam introducti, qui per conscientiam tolerari non poterant, quosque propterea Status Protestantes abrogari volebant. Iustam verò fuisse causam conquerendi de *abusibus*, ex ipsis Romanæ Ecclesiæ Scriptoribus satis liquet.

*Alterâ  
pars Aug.  
Conf agit  
de intro-  
ductis  
abusibus*



Status Pro-  
testantes  
habuisse  
causam  
conqueren-  
di de abusi-  
bus, proba-  
tur testimo-  
niis Papisti-  
sorum The-  
ologorum.

*Annis aliquot, inquit Bellarmin. Tom. 6. Op. Concl. 26. Antequam Lutherana & Calviniana heresis oriretur, nulla ferè erat, in ji restantur, qui tum temporis vivebant, nulla inquam prope erat in judiciis Ecclesiasticis severitas, nulla propemodum jam erat religio. Et Theologi Papistici sub finem Confutationis suæ ita loquuntur: Daß Sie aber von den Mißbräuchen eingewandt haben/ wissen ohn zweiffel alle Fürsten und Stände des Reichs/ daß weder von Keyserl. Majestät/ noch von einigen Fürsten/ noch von einem Christlichen Menschen auch der geringste Mißbrauch gelobt werde/ sondern alle wünschen/ daß die Fürsten und Stände des Reichs mit gemeinem Rath/ und einträchtigen Willen sich bestreiffen/ daß die Mißbräuche abgeschaffet und gebessert/ und was in beyden Ständen zuviel oder wenig geschiehet/ gänzlich abgethan oder zum besten reformirt werde. Und daß erdlich der geistliche Stand so vielfältig geschwächt/ und die Christliche Religion, welche in vielen erkaltet und laß ist worden/ in vorigen Schwang/ Ehr und Herrlichkeit kommen/ und zurecht gebracht werden möchte. vid Chyrai Histor. Aug. Conf. edit. germ. Francof. de An. 1580. fol. 15 6. & Pett. Suav. Histor. Concil. Trident. sub Leone X. Hadrían. VI. Clement. VII. aliisque Pontificibus, Ex quibus omnibus constare poterit, in vectos *abusus* plurimorum malorum causam esse, sæpeque deliberationibus præbuisse occasionem, quomodo tolli possint.*

*Abusus h. l. non tantum notat errorem in praxi, sed & vitium in fide.*

§. II. Intelliguntur autem per *abusus* non tantum vitia & errores circa res adiaphoras, quæ Christianam fidem non impetant; Sed istiusmodi *vitia, quæ errores fidei simul & facti involvunt*, atque circa tale objectum versantur, quod DEUS aliter instituit, tum ut alius de eo formetur in intellectu conceptus, tum ut alia circa illud praxis exerceatur. Hinc mutatio usus à DEO instituti h. l. dicitur *abusus* à Protestantibus, quia istiusmodi res, quæ in abusum trahuntur, præcipue per practica exteriora foras egrediuntur, existente interim falso & corrupto de iis in animo conceptu. Atque hoc modo *Articuli quoque Smalcaldici Part. 2. pag. 310. invocationem San-*



*Sanctorum* appellant partem *abusuum* & *errorum Anti. Christi*, eum tamen idem articulus in A. C. inter doctrinales relatus sit, ibidemque consideratus tanquam vitium doctrinæ; in *Articuli Smalcald.* verò ut in facto simul & in fide corruptus, indeque *abusus* dictus. vid. *J. A. Osiand. Colleg. in Aug. Confess. p. 320. D. Deuschman. Disput. 27. in Aug. Conf. §. 9.* Cumque recensiti in *Aug. Confess. abusus de S. Cœna, Conjugio Sacerdotum, missa, Confessione, discrimine ciborum, Votis Monachorum & Potestate Ecclesiastica* non sint in solis ritibus, sed & in dogmatibus, facillè judicari potest, vocabulum *Abusus* non accipi hic in significatione diminuta, sed ad *abusus doctrinales & morales* extendi, eosdemque *abusus* jure meritoque à Protestantibus eliminatos esse. Cæterum non tantùm in *abusibus* memoratis, sed & aliis pluribus dissensus erat, e. gr. de *indulgentiis, peregrinationibus, de abusu excommunicationis & c.* Hos tamen aliosque quos apud *Chytraum* fol. 97. 98. Hist. A. C. reperire licet, *Status Protestantes* interrogati à *Cesar. Maj.* an plures proferre vellent? ad evitandam prolixitatem aliasque ob causas tum temporis omiserunt.

§. III. Dum itaque præcipuos *abusus* ex secunda parte A. C. recitamus, eum ordinem observare necesse erit, qui in *Confessione invariata* proponitur. Hic enim ordo ab omnibus Doctoribus *Augusta* tunc congregatis & à *Luthero* approbatus, atque à Statibus Protestantibus subscriptione confirmatus est. Præterea hoc ordine lecti sunt hi Articuli coram ipso Imperatore, atque ad Imperii Archivum translati. Tenendum autem de iis generatim, tales esse hos *abusus*, ut non res leviculas & adiaphoras nobis sistant, sed nudam apertamque faciem regni *Papistici*, quod hisce veluti columnis insistit. Si enim tollatur *Cœna* mutilatio, atque *Missarum Sacrificii* Pompa; si item *Confessionis auricularis* carnificina abicit, in multis conformabitur *Papatus* externo Orthodoxæ Ecclesiæ exercitio. Imò si *Celibatus Sacerdotum, Discrimina ciborum & vota Monastica* eliminentur, re-

Recensetur Articuli Abusuum.

Plures *abusus* Confessores, ad evitandam prolixitatem proponere noluerunt.

Ordo Articulorum de mutatis, *abusibus.*

Momentum horum Articulorum.



*Curia Romana in aliis doctrinae Capitibus quidvis potius, quam in Articulis Abusuum aliquid concedet.*

*Concordia inter nostram & Romanam Ecclesiam nunquam speranda.*

restringaturque *Potestas* illa *Ecclesiastica*, quam *Pontifices* sibi arrogant, sublata erunt plurimæ causæ *schismatis* inter nostram & *Pontificiam Ecclesiam*. Tantum autem abest, ut hoc unquam futurum sit, ut potius acerrimè pro hisce depugnent, & quidvis in aliis largituri sint, si modò *articulos abusuum* salvos conservare possint, secundum illud: *Dogmata quæque libens cedit Tibi Papa sedemque: Qui velit his rebus cedere nullus erit.* In his enim *opes & autoritas Sacerdotum* fundamentum suum habent. Unde magis de eo laborare solent, ut *opes & potentia* in immensum gliscat, quàm ut animi ad pietatem formentur. Ita *communio sub una* mordicus defendenda est, ne in ulla re *Sacerdotes* errasse videantur. Unde & omnes preces pro obtinenda utraque specie in *Conc. Trident.* irritæ fuerunt. vid. *Suav. Hist. Conc. Trident. lib. 5. & 6. &c. Celibatus Sacerdotibus* indictus, ut omnes curas ad *Reipubl.* hujus *Ecclesiasticæ* conservationem convertant, proculque habeant privatos respectus. *Missæ* porro nihil accommodatius ad *lucrum* atque *autoritatem Sacerdotum* stabiliendam, & sic in reliquis. Vid. *Severin. de Monzambano de Statu Imperii Germanici c. 8. §. 8. & Pufendorff. Einleitung zu der Histor. cap. 12. §. 33. Idem de Hab. Religion. ad vit. Civ. §. 36. & 38.* Ut vel ex eo conjectare liceat, quid de tentatâ aliquoties *Concordia* inter nostram & *Romanam Ecclesiam* sperandum sit. Es wird geschehen/inquit *Lutherus Epist. ad Just. Jon. apud Chytraum Histor. Aug. Conf. f. 109. daß Ich ein wahrer Prophet sey/ der Ich allezeit gesagt habe: Man hoffe vergeblich Einigkeit in der Lehre/ und seye gnugsam/wenn wir nur den weltlichen Frieden behalten mögen.* Placet quoque de hac re audire *judicium Illustris Sam. de Pufendorff. l. c. §. 40.* Itaque operam lusisse, & suam *inscitiam* prodidisse, atque adeo uberrimam ipsis *Pontificiis* ridendi materiam præbuisse comperti sunt, qui *laudabili* quidem, sed *irri-*



irrito consilio, pacis & concordiae inter Pontificios & Protestantes conciliandae, vel, ut vocant, Syncretismi inter eos constituendi rationem ostendere & condiciones ferre, in animum induxerunt. Caterum id consilium rei Pontificiae non solum non incommodum, sed fructuosum, agitari cum summa molestia à Protestantium Theologis, haud ægrè Pontificii patiuntur: Controversiae enim de Syncretismo ultro citroque agitatae, non solum gravissimas inter Evangelicos Theologos contentiones & altercationes pariunt, sed impetum illum & ardorem animi, quo ad Pontificios impugnandos Protestantes feruntur, vehementer restinguunt: Ac fieri facile potest, ut ubi quis, dogmatis Christianae Religionis non nisi leviter tinctus, de compositione agi acceperit, haud adeo magnum inter Pontificios & Protestantes intervallum interjectum esse suspicetur. Quod si dum in ea hæresi est, aliqua melioris fortunæ, aut majoris utilitatis ei spes affulgeat, adduci facile potest, ut remisso protestantibus nuncio ad Pontificios transeat. Par enim castelli locive muniti, & pudicitiae virginalis conditio est, ut, ubi de conditionibus agi cœptum est, in summum utraque discrimen adducta esse videantur.

§. IV. Quò tenacius autem *Abusus* istos Papæi servant, eò acrius impugnandi sunt, neque enim *ob pacem & tranquillitatem publicam* hic aliquid concedendum est, quod vel verbo Dei repugnat & conscientias onerat, vel Adversarios in sua pertinacia confirmat, redditque insolentiores. Ita citra magnum veritatis & causæ præjudicium in Consiliis de *reducenda unione Ecclesiastica* inter Romanenses & Protestantes non possunt *Theologi Protestantes* errorem de *communione sub una* sic extenuare, ut dicant, eos, quibus absque scrupulo in consuetudine illa utendi unà tantum specie perseverare visum fuerit, non errare in fundamento fidei, quicquid etiam è contrario largiri videantur Adversarii. Neque è re *Protestantium* erit, si summum *Pontificem* tanquam *Supremum Patriarcham*, *Primum* totius Ecclesiae *Episcopum* venerari in se recipiant,

*Protestantes* citra magnum præjudicium nil possunt Papæi concedere in Art. de Commun. sub una & potestate Eccles. &c.



*Melanchthonis facilitas in hoc negotio Theologis aliisque Protestantibus non probata,*

*Qua in commoda & pericula metuantur ex restituta jurisdictione & potestate Ecclesiastica.*

piant, eique debitum in spiritualibus promittant obsequium, quibuscunque etiam cautionibus & conditionibus hoc consilium muniri soleat. *Vid. Pufendorff. Fur. Fec. §. 10. 12. 13, pag. 33, seq. usque ad p. 80.* Ubi duorum Theologorum consultationes de Pace & Concordia inter Pontificios & Protestantes accuratè examinat & enervat. Neque probantur nostris Theologis, quæ Phil. Melanchthon olim de hoc negotio tradidit, posse Pontifici, si Evangelium admitteret, propter pacem & communem tranquillitatem Christianorum, qui jam sub ipso sunt, & in posterum sub ipso erunt, Superioritatem in Episcopos, quam aliqui habere jure humano, etiam à nobis permitti. Ita enim in Epist. ad Joachim Camerarium prid. cal. Septemb. scripsit. *Nulli inquit tunc erant hac de re (paci studio) sermones: nunc nati sunt, postquam patefactum est, quid nos concedamus Episcopis. Hoc male habet scilicet quosdam immoderatiores, reddi Jurisdictionem, restitui potestatem Ecclesiasticam, hoc interpretantur restitutionem dominationis Pontificia.* Quamvis enim ista superioritas ad externum tantum Ecclesiæ regimen restringatur, atque si prospectum sit puritati doctrinæ & libertati conscientiarum, permittere possint Christiani, ut ab hoc vel isto administrarentur. Cogitantes tamen, quomodo hætenus Episcopi ista Jurisdictione abusi sint, & quo animo fuerint erga puram Evangelii doctrinam; non poterat non ista Melanchthonis facilitas sollicitos tenere, atque admonere de futuris periculis in Ecclesiam Evangelicam derivandis. Et *Norimbergenses* quidem in *judicio & censura de mediis concordie* satis clarè incommoda ista & pericula exponebant, ostendebantque, nullam esse subtiliorem & compendiosorem viam Evangelii funditus delendi, quàm istam concessam superioritatem & Jurisdictionem Episcoporum, qua sacerdotem delinquentem punire possent, nemine impediente. Neque aliud quid eo in casu expectandum esse, quàm ut nullus veræ & sinceræ religioni deditus Pastor præsentatus unquam admitteretur; aut admissus jam propter hoc, jam propter illud confictum cri-



crimen citaretur, & in via interficeretur &c. Quis autem cum certo vitæ periculo munus Pastoris sibi imponi pateretur? Et quamdiu, elisis ita & eiectis Pastoribus, Evangelium & religio Christiana stabilis permanere posset? Unde non casu sed mirabili DEI providentia factum, ut *Papæ* oblata tum temporis media Pacis & concordia Protestantium Ecclesiis non parum onerosa & periculosa rejicerent. vid. *Chytræ Hist. A.C. fol. 229*. Ita enim integra tantisper mansit Ecclesiis libertas, donec postea in *transactione Passaviensi*, & subsecuta *Pace religiosa* Potestas & jurisdictio Episcoporum in Protestantium Ecclesias suspensa, atque in Status Protestantes translata, insuperque magno Dei beneficio plena libertas doctrinæ *Aug. Confessionis* in omnibus Articulis data est. Sed de hoc jam satis, infra autem in Artic. 7. plura de hac materia dicentur.

§. V. Nunc propius ad ipsam rem accedendum est, *abususque papistici* penitiùs inspiciendi sunt. Hos commodè quidam Autores ita distinguunt, ut dicant, alios versari circa *res verè sacras*; alios verò circa *res merè papisticas*. IN ILLIS VEL peccatur in defectu; ut in Sacramento Cœnæ, cum altera pars Laicis subtrahitur, retineturque tantum *communio sub una*, cui Articulus primus de *communione sub utraque* est oppositus. Item dum Sacerdotes ad perpetuum cœlibatum astringuntur, quam doctrinam rejicit Articulus 2. de *Conjugio Sacerdotum*. VEL in excessu peccatur, uti circa S. Cœnæ administrationem, hinc *Artic. de Missa*. Et 4. de *Confessione*, in qua enumerationem *singulorum peccatorum* Papistæ urgent. IN HIS verò notantur sequentes abusus: de *Differentia ciborum*, qui error cujusvis status homines in Papatu obligat, indeque *universalis abusus* dici potest. Et hunc Articulus 5. de *Discrimine ciborum* perstringit. Sextus autem Articulus abusum *particularem*, Monachorum nempe vitam & ordines notat, atque de *Votis Monasticis* inscribitur. In septimo denique abusu reperitur fundamentum omnium abusuum, *Potestas* nempe *Ecclesiastica*, quam sibi *Pontifices* arrogant, quæque res eorum

*Abusus  
versantes  
circa res  
sacras vel  
in defectu  
peccant.*

*Vel in ex-  
cessu.*

*Abusus  
circa res  
Papisticas.*



*Systematicam & accuratam in recensendis abusibus methodum noluerunt observare Confessores.*

*Cur primo loco proponatur abusus de communione sub una? Gallorum Germanorumque desideria de restituendo calice.*

*Card. S. Angeli impia & contumeliosa obstinatio in hoc negotio.*

steterunt hactenus stabuntque. Et hanc infinitam potestatem improbat *Articulus Septimus*. Quancumque verò *Confessores* in recensendis his abusibus noluerint accuratam & systematicam observare methodum, res tamen seu materialia ita collocarunt, ut conveniens his abusibus Confessorumque intentioni methodus non fuerit neglecta.

§. VI. Primo itaque loco *Articulus de Utraque Specie* proponitur, & oppugnatur *Communio sub una*; ista enim *Controversia* in præcedentibus *Conciliis Constantiensi & Basileensi* ventilata fuerat, indeque merito hunc sibi vendicabat locum. Et hunc *abusum* maximum in Ecclesia fuisse, ex ipsorum Pontificiorum Scriptis liquet. In primis verò *Petri Suavis Historia Concilii Tridentini lib. 5. 6. & 7.* nobis manifestat *Gallorum, Germanorum* aliorumque desideria de restituendo calice. Quanta verò pertinacia his desideriiis *Aula Romana* obstiterit, idem *P. Suavis* commemorat. Pauca jam referam ex lib. 5. 6. 7. istius Historiæ. *Cardinalis Quevensis*, inquit *Suavis*, præfractè negavit, se unquam petitionem eam (de integro Sacramento Eucharistiæ populo ministrando) suffragio suo adjururum, imò si ipse *Papa* de consensu aliorum *Cardinalium* ita statuerit, se consensens *B. Petri* gradibus alià voce misericordiam imploraturum; neque cessaturum dicere, Præfules Galliæ hæreseos labe esse infectos. Et consentienter huic *Cardinalis S. Angeli* dixit, se nunquam *pharmaci* loco poculum toxico referunt populo Gallico propinaturum, multoque satius esse, sincere eum exspirare, quam ut ad remedia adeò exitiosa deveniatur. Et *Franciscus Torrensis* Jesuita hic quoque adduxit ejusdem *Cardinalis S. Angeli* dictum: Satanam solitum se transformare in Angelum Cœlestem, & Ministros suos in Ministros lucis ad fideles in fraudem pellitendos: Nunc verò sub calicis & sanguinis Christi involuero atque operimento hortari ad calicem venenatum populo propinandum, &c. Unde & *Sess. 21. Conc. Trid. c. 1.* Patres hoc anathema in contradicentes vibrant: Si quis dixerit, ex Dei Præcepto vel necessitate salutis omnes & singulos Christi fideles utramq. speciem sanctissimi Eu-

Eu-



*Eucharistia Sacramenti sumere debere, anathema sit.* Et cum quidam censerent, sublata calicis prohibitione futurum, ut concordia inter Lutheranos Pontificios stabiliretur, regessit Cardinalis Hosius, tantum abesse, ut ex concessione calicis Ecclesia Romana salus melius habere possit, ut potius hinc Universus Papatus evertatur. Hinc idem missionem quoque postulavit in Concilio Trid. causans, Ecclesiam suam Pastoris presentia valde egere, & serpere in eam communionem calicis aliosque abusus notabiles. Vid. Petr. Suav. l. 7. Hist. Conc. Trid. p. 613, edit. lat. Gorinch. Tanti momenti res visa fuit Patribus Conc. Trid. communionem sub una defendere & conservare. Cùm verò Confessores magnà constantiâ postulata Pontificiorum circa hunc articulum rejecerint, atque tum temporis variæ Disputationes de hac re habitæ sint, facillè intelligit Controversiarum Theologicarum peritus, quæstionis inter nos & Pontificios agitatae cardinem in eo verti: An omnibus & singulis communicantibus cujuscunque sexus & status fuerint, Sacramentum Eucharistiæ de jure Divino sub utraque Specie porrigi debeat? Negant Pontificii, solisque conscientibus calicem porrigendum esse ajunt. Quæstionis verò affirmativam tuetur Augustana Confessio, insuperque rejicit processionem papisticam.

§. VII. Probatum autem necessitas porrigendi utramque speciem communicantibus, quia hic mos habet mandatum Domini Matth. XXVII, 27. *Bibite ex hoc omnes, ubi manifestè præcipit Christus de poculo, ut omnes bibant &c.* Sicut enim Christus instituit, Apostoli & primitiva Ecclesia administrarunt, ita ex necessitate præcepti Sacramentum hoc porrigendum est communicantibus. Christum verò illud instituisse sub utraque specie, & ita in primitiva Ecclesia administratum fuisse, ipsum Concilium Constantiense An. 1415. asseruit, quando Sess. 13. hoc decretum fabricavit: *Non obstante, Christum sub utraque specie instituisse, & in primitiva Ecclesia Laicis sub utraque specie fuisse administratum hoc Sacramentum, tamen Ecclesia communionem sub una instituit.* Deinde, quia Christus utramque speciem in-

Card. Hosius communionem sub una profulcro Papatus habet.

Cardo quæstionis inter nos & Pontificios in hac materia.

Probatum necessitas communicandi sub utraque specie.

Concilium Constantiense agnoscit institutionem utriusque speciei, & usum in primitiva Ecclesia.



*Manda-  
rum biben-  
di de poculo  
datum est  
omnibus,  
qui se pro-  
bare pos-  
sunt.*

*Si omnes  
Laicos obli-  
gat verbū  
edite, multo  
magis  
bibite eos  
obligabit,  
aut si unus  
tantum im-  
perativus  
obligat, po-  
tius empha-  
ticus iste,  
bibite om-  
nes obli-  
gationem  
inducet.*

*Improba-  
tur proçessio  
papistica,  
panis, Eu-  
charistici  
circumge-  
statio &  
adoratio,*

instituit, tum ista institutio vel est Præceptum, vel non est: *Si illud* ex præcepto utraque species porrigenda est. *Si hoc*, Sacramentum hoc non erit mandati Divini, quod impium. Præterea Paulus loquens de *universis Corinthiis* mandat 1. Cor. XI, 28. Probet homo se ipsum, & sic edat de pane, & bibat de poculo. Quisquis ergo se probare potest, ille jubetur bibere; Laici se probare possunt, E, illi quoque bibere jubentur, & consequenter cœna sub utraque Specie erit præcepta. Atque istā necessitatem quidam Præsules in *Conc. Trid.* concedere coacti sunt, dum ad hanc formulam: *Fideles, qui unam solam speciem accipiunt, nullā gratia ad salutem necessaria defraudari regeferunt: Occasionem inde disputandi ministrari, quod cum Eucharistia Sacramentum necessarium non sit, eadem ratione possit colligi, penes Ecclesiam esse, eam totam Christianis auferre.* vid. *Suav. Conc. Trid. l. 6. p. 485.* Denique si omnes communicantes obligat verbum *edite*, multo magis illos obligabit verbum *bibite*; hoc enim per modum propositionis universalis, *bibite omnes*, illud autem ut propositio indefinita proponitur. Quod si quis verò contendat, *unam tantum Speciem* pro Laicis institutam esse, is hoc argumento cogi posset, ut fateatur, *calicem* potius pro iis institutum esse, quàm *panem*. Nam cum duo imperativi concurrunt, alter *emphaticus*, & alter *indefinitus*, uti hoc loco, tunc iste potius obligabit, quàm hic vid. *Scherzer. Syst. Theol. Loc. XV. §. 10.* Addatur his omnibus sententia *Gelasii* ex Jure Canonico c. *Comperimus Dist. 2. de Consecrat.* ita dicentis: *Aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; Quia divisio unius ejusdemque Sacrificii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

§. VIII. Ex eodem fundamento, quia divisio Sacramenti repugnat Institutioni Christi, Articulus hic sub finē improbat proçessionem papisticam, qua panis, uti in *Ecclesia Romana* creditur, *transsubstantiatus*, assertatur, publicèque circumgestatur, & adoratur. Cum enim nullum sit Sacramentum nisi in actione divinitus instituta; in *istis Proçessionibus* Corpus Christi non agnoscimus. Panis verò adorationem tantquam idololatricam detestamur,



DISSERTATIO SECUNDA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFENSIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS

Continens

Articulum II.

DE

CONJUGIO  
SACERDOTUM,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNÉ KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primario,

& Mathemat. Ordinario.

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni subjecit*

HIERONYMUS HOBEIN,

Obernkircha-Schaumburgicus.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad d. 13 Februar. An. 1711.

ARTIC. II.

DE CONJUGIO SACERDOTUM.

**P**ublica querela fuit de exemplis Sacerdotum, qui non continebant. Quam ob causam Pius Papa dixi, se fertur fuisse aliquas causas, cur ademptum sit Sacerdotibus conjugium, sed multo majores esse causas, cur reddi debeat.



beat. Sic enim scribit Platina. Cum igitur Sacerdotes apud nos publica illa scandala vitare vellent, duxerunt uxores ac docuerunt, quod liceat ipsis contrahere matrimonium. Primum quia Paulus dicit: Unusquisque habeat uxorem suam propter fornicationem. Item: melius est nubere, quam uri. Secundo Christus inquit: Non omnes capiunt verbum hoc, ubi docet, non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse, quia Deus creavit hominem ad procreationem, Genes. I. Nec est humanæ potestatis, sine singulari dono & opere Dei creationem mutare. Igitur qui non sunt idonei ad cœlibatum, debent contrahere matrimonium. Nam mandatum Dei & ordinationem Dei nulla lex humana, nullum votum tollere potest. Ex his causis docent Sacerdotes, sibi licere uxores ducere. Constat enim, in Ecclesia veteri Sacerdotes fuisse maritos. Nam Paulus ait, Episcopum eligendum esse, qui sit maritus. Et in Germania primum ante annos quadringentos Sacerdotes vi coacti sunt ad Cœlibatum, qui quidem a deo adversati sunt, ut Archi-Episcopus Moguntinus publicaturus edictum Rom. Pontificis de ea re, penè ab iratis Sacerdotibus per tumultum oppressus sit. Et res gesta est tam incivilliter, ut non solum in posterum conjugia prohiberentur, sed etiam presentia, contra omnia jura divina & humana, contra ipsos etiam canones factos, non solum à Pontificibus, sed à laudatissimis Synodis, distraherentur.

Et cum senescente mundo paulatim natura humana fiat imbecillior, convenit prospicere, ne plura vitia serpent in Germaniam. Porro Deus instituit Conjugium, ut esset remedium humanæ infirmitatis.

lps



Ipsi canones veterem rigorem interdum Posterioribus temporibus propter imbecillitatem hominum laxandum esse dicunt, quod optandum est, ut fiat & in hoc negotio. Ac videntur Ecclesiis aliquando defuturi Pastores, si diutius prohibeatur conjugium.

Cum autem extet mandatum, cum mos Ecclesie notus sit, cum impurus coelibatus plurima pariat scandala, adulteria & alia scelera digna animadversione boni Magistratus: tamen mirum est, nullam in re majorem exerceri severitiam, quam adversus Conjugium Sacerdotum. Deus precipit honore afficere Conjugium. Leges in omnibus rebus publicis bene constitutis etiam apud Ethnicos maximis honoribus ornaverunt. At nunc capitalibus poenis excruciantur; & quidem Sacerdotes contra Canonum voluntatem, nullam aliam ob causam, quam propter Conjugium. Paulus vocat doctrinam Demoniorum, quae prohibet Conjugium. 1. Tim. IV. Id facile nunc intelligi potest, cum talibus suppliciis prohibitio Conjugii defenditur.

Sicut autem nulla lex humana potest mandatum Dei tollere, ita nec votum potest tollere mandatum Dei. Proinde etiam Cyprianus suadet, ut mulieres nubant, quae non servant promissam castitatem, verba ejus sunt haec lib. 1. Epist. I. Si autem perseverare nolunt, aut non possunt, melius est, ut nubant, quam ut in ignem deliciis suis cadant; Certè nullum fratribus aut sororibus scandalum faciant. Et equitate quadam utuntur ipsi Canones erga hos, qui ante justam aetatem voverunt, quomodo ferè haecenus fieri consuevit.



## S. I.

Connexio  
hujus Ar-  
ticuli cum  
precedente.

Communis  
querela de  
impuro  
Clericorū  
Celibatu.  
Postulata  
quorundā  
Principum  
& Theolo-  
gorum Ro-  
manensium  
de restitu-  
endo Sacer-  
dotibus  
matrimo-  
nio.

Eliduntur.



**I**nter *abusus* in defectu peccantes, *Confessores* secundo loco Articulum de prohibitionem *Conjugii* Sacerdotibus facta merito tradidere. Non minor enim querela de hoc *abusu* erat, quàm de *communione sub una*. Et Ecclesia satis diu sub isto errore per violentiam introducto gemuerat. Hinc iis temporibus una ferè omnium vox erat: *Celibatum Clericorum* impurum esse, iisque *Conjugium* restituendum. Et postea in *Concilio Tridentino* sub *Pio IV.* quidam Principes aliàs Romana sacra professi *conjugia* Sacerdotibus reddi à *Pontifice Romano* literis flagitarunt. Quò etiam tendebat libellus memorialis à Theologis Romanæ Religionis in Germania conscriptus, iisque literis adjunctus, quo probabatur, Scripturam Utriusque Testamenti Sacerdotibus permittere uxores, inque Ecclesia primitiva tam Orientali quàm Occidentali matrimonia Sacerdotum fuisse libera & licita usque ad *Papam Calixtum*; neque jura Civilia *Clericorum Conjugia* improbare. Et si unquam causa fuit, permittendi Clericis *Conjugium*, isto tempore esse. *Che di cinquanta Sacerdoti* Carolici à pena se ne trova uno, che non sia notorio fornicario. *Che non solo li Sacerdoti desiderano il matrimonio, ma li Secolari ancora, per non veder quella brattezza di vita.* vid. *Pet. Soave Hist. del Concil. Trident. lib. 8.* circa finem. Et quantum *Papa* visus fuerit eò propendere, ut ex omnibus Nationibus Romam evocaret homines pios & doctos, qui hanc rem maturo judicio excuterent; ratio tamen status non permisit, ut hac in re *Principibus Theologisque* gratificaretur. Concesso enim matrimonio Sacerdotum, prævidebat, futurum, ut omnes affectum & amorem suum in uxorem & liberos, adeoque in familiam & Patriam convertant.



vertant. Inde dissolutum iri sacri ordinis cum sede Apostolica conjunctionem: Ut ad eod matrimonium Sacerdotibus concedere nihil sit aliud, quàm Hierarchiam Ecclesiasticam destruere, & Pontificem redigere ad Roma solius Episcopatum vid iterum P. Soave lib. 7. Hist. Cencil. Trid. p. 695. Edit. Genev. de An 1629.

§. II. Ex eodem fundamento de hoc capite differit Illustr. Sam. de Pufendorff Intradit. Histor. cap. 12. §. 32. Die Clerisey hat dieses besonders / daß Sie ingesammt der Ehe sich enthalten muß. Welches man zwar vorgibt / daß es wegen sonderbahrer Heiligkeit geschehen soll / und daß Sie ihr Ampt desto süglicher ohne Verhindernisse verrichten können. Allein die eigentliche Uhrsachen sind / daß diese Leute nicht mehr auf ihr Weib und Kind / als der Kirche Interesse trachteten / und in rücksicht derer sich nicht an die hohe Obrigkeit / in dero Gebiet sie leben / hencketen / auch nicht von den Kirchen-Mitteln an die Ihrige verwendeten. Darüber desto bereiter wehren des Pabsts Willen in allen Stärken / sonderlich wider die Fürsten / worunter Sie leben / zu exquirere &c. So würde auch endlich der Geiz der Clerisey bey weitem nicht so reiche Erndte gesunden haben / wenn es das Ansehen gehabt hätte / daß Sie vor ihre Weiber und Kinder zusammen scharreten / als da es nun geheissen hat / sie bettelten nicht für sich / sondern für die Kirche. Doch haben die Jenige / so der Clerisey das ehelose Leben aufgedrungen / schändlich vergessen / auf ein bequiem Recept zu gedencen / dadurch alle Geistliche das donum continentiae haben können / welches ihnen nicht übel anstehen würde. Ipsi etiam CONFESSORES in Apologia Augustana Confessionis, postquam infamiam inquinati cœlibatus notassent, Carolo Cesari causam exposuere, cur Virginales scilicet! Mystæ tantopere pro lege Cœlibatus pugnent. Non tuentur serio cœlibatum, inquit Apologia. Neque enim ignorant, quàm Pauci præstent castitatem, sed prætexunt speciem Religionis regno suo, cui prodesse cœlibatum putant, ut intelligamus, Petrum recte monu-

Hierarchia Ecclesiastica conseruatio depēdet à Cœlibatu Sacerdotū, Conjugium autem Clericorum Compagem istius Reipublica dissoluit. Hinc intelligi potest, Cur cœlibatus Sacerdotibus inditus sit?

Papista impio prætexit divini nominis Cœlibatū legem defendunt.



monuisse, futurum, ut Pseudo-Propheta fidei verbis decipiant homines. Nihil enim verè simpliciter & candidè in hac tota causa dicunt, scribunt, aut agunt Adversarii, sed re ipsa dimicant de dominatione, quam falsò purant periclitari, & hanc impio prætextu Pietatis munire conantur.

Quomodo  
in hac ma-  
teria for-  
mandus sit  
status Con-  
troversia?

p. 243.

p. 249.

An Conju-  
giù arceat  
homines à  
sacro mi-  
nisterio?

Sententia  
Papistarù  
proponitur.

§. III. Dum itaque legem Cœlibatus in Papatu vigen-  
tem secundo hoc Articulo impugnamus, in formando statu  
Controversiæ observandum est, non quæri de eo: an  
cœlibes in Sacerdotio vivere possint, si sint verè continentes? ne-  
que de eo; an decorum sit & utile Ecclesia, si habeat Sacer-  
dotes verè virgines in suo cœlibatu? hæc omnia enim facile  
conceduntur, vid. Scherzeri Syst. Loc. XXVII. §. 16. in fin.  
& ipsa Apologia August. Confess. suam Virginitati laudem his  
verbis admetitur. Neque tamen equamus Conjugio Virgini-  
tatem. Sicut enim donum dono præstat, ita virginitas donum  
est præstantius Conjugio. Et circa finem hujus Articuli: Non  
equamus Conjugium & Virginitatem, etsi neque virginitas, ne-  
que Conjugium meretur justificationem. Hoc verò est, quod  
in primis quæritur: An viventes in Conjugio arcendi sint à  
sacro ministerio? Deinde, an ad id, ut quis sacros ordines &  
ministerium ingredi possit, jure requiratur, ut juramento aut voto se  
ad Cœlibatum obstringat? Denique an constituti in sacro mi-  
nisterio, si sentiant, se dono continentia non esse præditos, te-  
neantur nihilominus manere cœlibes? Ad quas quæstiones  
non aliter, quàm negando responderi potest. Adversarii  
autem asserunt: Sacerdotibus jure prohibitum esse matrimo-  
nium, & votum continentia ita cum sacris ordinibus coherere,  
ut nec uxores ducere, nec ductis uti liceat post ordinationem.  
vid. Concil. Trident. Sess. 8. cap. 9. Ubi anathema vibratur  
in contradicentes. Imò Costerus in Enchirid. & Gresferus  
Hisor. Ord. Jesuit. fol. 115. eò audaciæ progrediuntur, ut  
scribant: Gravius peccare Sacerdotem, si matrimonium con-  
trahat, quàm si fornicetur, aut Concubinam domi foveat.  
Quanquam hodie Jesuita in Hungaria Apostatis ex Pres-  
byterio



byterio Lutherano usum Conjugii strictis his conditionibus concedant, ut concionari quidem & baptizare, non autem *S. Canon* administrare possint, uti recentes testantur historiae. Caterum in asserendo *Cœlibatu* Clericorum non uno modo incedunt Pontificii, quibusdam eum ex Jure Divino & Apostolico derivantibus; aliis verò ejus ortum referentibus ad Jus tantum *humanum seu positivum*. Quæ in re ipsi inter se transigant. Nobis certum est, neque Jure Divino hunc *cœlibatum* stabiliri; neque jure humano Ministerio sacro imponi potuisse. Imò verò manifestum est; eum cum jure Divino & Naturali, & cum ipsis Canonibus Conciliorum pugnare; parere infinita scandala, peccata & corruptelam publicorum morum, uti nunc pluribus ostendetur.

§. IV. Argumenta autem quæ in *August. Confessione* & *Apologia* de hac materia reperiuntur, commodè ita dividi possunt, ut quædam *Conjugium Sacerdotum* directè adstruant; quædam verò legem *Cœlibatus Clericalis* oppugnent; atque hoc ordine eadem hîc quoque proponentur. Illa sunt sequentia: (1.) Qui non sunt continentes, illis *Conjugium à Deo præceptum est*, secundum illud *Pauli 1. Cor. VII, 29.* ad evitandam fornicationem unusquisque habeat uxorem suam. Item melius est nubere, quam uri. Atqui multi Sacerdotes Papistici non sunt continentes, Ergo illis *Conjugium à Deo præceptum est*, & consequenter nullo jure à quopiam prohiberi potest. Minor manifesta est ex ipsorum Papistarum Confessione. Ita enim *Cassander de Clero suo* scribit *Consult. ad Art. 23.* Eò jam res rediit, ut vix centesimum invenias, qui ab omni commercio fœminarum abstineat; Populus verò ita affectus est, ut Sacerdotis fornicatoris seu Concubinariî ministerium vel prorsus condemnet, vel levius æstimet, maritum verò Sacerdotem æquius ferat &c. Et *Claudius Espencæus in cap. 1. Tit.* testatur, quod post *Concilium Tridentinum à Presbyteris tributum annuum pro licentia*

Quidam  
Cœlibatû  
Juris divi-  
niali verò  
humani &  
positivi esse  
volunt.

Argumen-  
tum primû  
pro Conju-  
gio Sacer-  
dotum.

Papistarû  
Confessio de  
Sacrificiis  
non conti-  
nentibus.

Con-



Concubinatus exigatur, etiam ab illis, qui alias nollent concubinas. Dicitur enim ab officialibus; Habeat si velit. Quam continentibus sint ipsi Pontifices, id ex historiis liquet. Legatur in hanc rem *Nepotismus Romanus*, seu *Historia de Ratione Status Pontificum Roman.* in primis lib. 2. c. 3. & lib. 3. cap. 9. &c. vid. Calixt. de *Conjugio Clericorum* pag. 84. seq. (2.) Conjugium est Juris Divini & Naturalis, ergo nullo jure positivo prohiberi potest. Probatum antecedens ex *Genes. 1. 28. Crescite & multiplicamini.* Jus Naturæ autem prebat naturalis appetitus, quo homo fertur in speciem propagandam. Unde & hic appetitus in Statu innocentie locum quoque habuit. (3.) Scriptura laudibus ornat Conjugium. Ergo nullus hominum ordo ab eo planè est arcendus. Probo asseritum ex *Hebr. XIII, 4. Conjugium in omnibus honorabile est,* & consequenter quoque in Clericis, indeque iisdem prohiberi nequit. Hinc in *Synodo Nicena* dictum hoc à Paphnutio Martyre iis oppositum est, qui Clericis coelibatum imponere voluerunt. *Socrat. l. 1. c. 8. Sozom. l. 1. c. 2.*

Secundum  
argumen-  
tum.

Tertium.

Quartum.  
Conjugium  
est remediū  
humane in-  
firmitatis.

Alia omnia  
remedia in-  
terna ani-  
mi incen-  
dia sepe  
non extin-  
guunt.

§. V. Tribus his argumentis succedit (4.) quod Conjugium sit humanæ infirmitatis remedium *1. Cor. VII, 2.* Ergo cuiusvis hominum generi licet isto remedio uti. Et quanquam alia quoque sint remedia, ut preces, jenunia & abstinentia, quibus corpus nostrum macerandum est, ne prava concupiscentia Spiritui prædominetur; & quibus externam corporis contaminationem per Dei gratiam evitare possumus. Ista tamen huic remedio (Conjugio) non opponenda, sed subordinanda sunt. Præsertim cum tentatis & adhibitis aliis omnibus remediis vera Continentia sæpè obtineri non potuerit, nec extincta interna incendia. Quamdiu autem æstuant interna animi incendia, deperdita est Virginitas, quam Paulus in corpore & Spiritu consistere ait. Quod pertinet, quod *Hieronymus* de se in eremo constituto ad *Eustochium* scribit *part. 3. Tract. 5. Epist. 16. lit. P. Sedebam solum inquit, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco mem.*



membra: deformis & squalida cutis sicut aethiopica carnis obduxerat. Quotidie lacryma: quotidie gemitus, & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset: nuda homo vix ossa haerentia collidebam. De cibis verò & potu taceo: cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur: & coctum aliquid accepisse luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehenna metum tali me carcere ipse damnaveram, scorpionum tantum socius & ferarum, sepe choris intereram puellarum: Pallebant ora jejunii: & mens desiderii aestuabat in frigido corpore: & ante hominem suum jam carne praemortua, sola libidinum incendia bulliebant. Hinc Ambrosius: Sola virginitas est, quae suaderi potest, imperari non potest. Sed quid opus est his exemplis: ipse Clerus Pontificius pro exemplo est. indeque ejus coelibatus toti mundo jam dudum foetuit. Et ipsi Religionis Socii de incontinentia Sacerdotum Papæorum testantur, uti ex *Aventino* aliisque Scriptoribus probat *Calixtus* p. 430. seq. Imò seculo XV. concubinatus & vagæ libidines ita invaluerant, ut crimen ferè desierint esse, coeperintque haberi pro joco & ludo. Hinc *Joh. Gerson*, de *vita Spir. lect. 4 cor. 13.* agnovit, concubinatum Presbyterorum ita generale & radicatum esse malum, ut aboleri nequeat, & aut nullos Sacerdotes habendos, aut incontinentes tolerandos esse. Non mirum igitur est, si superioris & hujus Secul. Scriptores atque Poëtæ mordaci calamo in hos Sacerdotes nonnunquam luserint. Legantur *Euricii Cordi Simeshusii Hesi* Epigrammata, quibus Monachorum mores & amores facetè descripsit. Hic etiam duram conditionem Civium Admissariis his pabulum suggerentium ita deplorat l. 4. *Epig.*

O miseros Cives, infelicesque maritos,  
 Qui magno saturant talia monstra malo!  
 Multa Semiramis hac sit Pasiphaeque necesse est,  
 Illi qua regnant urbe boves & equi.

Ipforum quoque Pontificum libidines Scriptorum exagitarunt. Ita enim *Joh. Sapidus* Epitaphium Sixti IV. ornavit.

Sixte jaces tandem, desent tua busta Cynadi,  
 Scortaque, lenones, alea, Vina, Venus.

D

Testimonia  
 de inconti-  
 nentia Sa-  
 cerdotum  
 Papistico-  
 rum.

Ipforum  
 Pontificum  
 libidines  
 exagitan-  
 tur à Scri-  
 ptoribus.

Ma-





*Marulli Epigramma in Innocentium VIII. sic sonat:*

*Octo nocens pueros genuit, totidemque puellas*

*Hunc meritò potuit dicere Roma Patrem.*

De *Alexandro VI.* monstro verius ex libidine & perfidia constato, quàm homine ita scribit *Guicciardinus Histor. d'Italia lib. 6. fol. m. 153. b.* Concorso al colpo morto d' *Alessandro in San Piero con incredibile allegrezza tutta Roma, non potendo sariarsi gli occhi d'alcuno di vedere spento un Serpente, che con la sua immoderata ambitione & pestifera perfidia, & con tutti gli essempi d'horribile crudelta, di mostruosa libidine, & d'inaudita avaritia, vendendo senza distintione le cose sagre & le profane, haveva atrofiscato tutto 'l mondo &c.* De *Julio II. Leone X. Hadriano VI. Clemente VII. Paulo III. & Julio III.* similes leguntur laudes apud Historicos. Denique Principes Proceresque Germaniæ in suis Gravaminibus An. 1522. Norimbergæ propositis de licentia & incontinentia Sacerdotum conquesti sunt num. 75. & 91. *Quod Episcopi & officiales cogant Sacerdotes censum concubinatus persolvere. Episcopum pecunia indigum esse, qua soluta, licere Sacerdotibus, ut vel cælibes permaneant, vel concubinas alant.* Ut adeo de *Episcoporum & Sacerdotum Pontificiorum incontinentia* satis valida prostent testimonia. Quidni ergò iidem jus retineant utendi remedio, Conjugio nempe, à Deo præscripto?

*Quintum  
& Sextum  
argumentū  
pro Conju-  
gio Sacer-  
dotum.*

*Apostoli  
habuerunt  
uxores.*

§. VI. Affert præterea (5.) Conjugium multa bona & commoda; bonum puta adjutorii, bonum prolis &c. nefas ergò erit, integrum hominum ordinem ab his bonis submovere. (6.) Conjugium salutem & vocationem hominis per se non impedit. *Salvabitur enim mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide.* 1. Tim. II, 15. Et Patriarcha, Prophetæ, Apostoli, Episcopi & Martyres in matrimonio viventes nihil fecere indignum sua vocatione. Quare nec hodie Sacerdotibus Conjugium jure prohiberi potest. De Patriarcharum & Prophetarum matrimoniis nemo dubitabit. Quosdam autem Apostolos uxoratos fuisse constat ex *Matth. VIII, 14.* ubi legitur: *Petrum habuisse socrum.* Ergò necesse est, uxorem

quo-



quoque habuisse. Imò ipsi Adversarii fatentur, Petrum habuisse filiam *Petronillam*, quæ Romæ sepulta sit. *Philippus Evangelista quatuor filias habuisse dicitur Act. XXI, 9.* uxorem itaque habuit. Quod aded manifestum est, ut nec ipsi Pontificii negare possint. Dicunt autem: Petrum, cum ad Apostolatam vocatus esset, juri maritali renuntiasse, ipsumque & uxorem perpetuam vovisse continentiam & præstitisse. Reliquisse verò Petrum uxorem probare conantur ex *Matth. XIX, 27. & Marc. X, 28.* Ubi, cum Petrus Christo Salvatore dixisset: *Ecce nos reliquimus omnia.* Servator responderit: *Quisquis reliquerit aut domos aut fratres, aut sorores, aut Patrem aut Matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei, centuplicia accipiet.* Ergò, inquiunt, Petrus aliique Apostoli uxores suas reliquerunt. Id verò ex allegato loco nondum sequitur. Eo enim casu, quo simul retineri non possunt *Christus, & Pater, mater, uxor aut liberi;* dimittendi erant hi præ illo. De cætero autem sicut Christiana religio non tollebat officia erga Parentes & liberos, ita nec erga Conjuges; poterant enim hæc simul stare. Retinuit certè *Petrus* post vocationem ad Apostolatam jus suum in domum suam, quia dicitur *Matth. VIII, 14.* *Cum venisset Servator in domum Petri, vidit Socrum ejus in lecto projectam & febricitantem.* Cur ergò renunciavit juri in uxorem? Si dixeris: Eum cum Christo semper in itinere fuisse. Dicam ego: Inde tantùm sequi, eum aliquamdiu ab uxore abfuisse, sicut milites & mercatores interdum peregrè abeunt & diu absunt, nec tamen idè jus maritalè à se abdicant. Quare istius dicti: *Ecce nos reliquimus omnia,* aut hic erit sensus: reliquimus *negotiationes artes & lucra.* Aut, si ad uxores quoque extendere velis, ista relictio non erit totalis, sed ad tempus, quatenus conversatio conjugalìs per operam istam, quam Christo Servatori præstabant, interrumpèbatur. Quod si verò quis contendat, Apostolos post acceptum *Spiritum Sanctum* ivisse in universum Terrarum orbem ad annunciandũ Evangelium, atque ita reliquisse uxores. Et reponi potest, eos ne sic quidem uxores reliquisse, sed eas tanquam itineris comites secum

Exceptio.

Retunditur.

Ex eo, quod dicitur, Apostolos reliquisse omnia, non sequitur, eos uxores quoque dimisisse.

Obiectio.

Solvitur.



secum circumduxisse, uti *Paulus* testatur 1. Cor. IX, 5. *Annon habemus potestatem sororem uxorem circumducendi, ut & reliqui Apostoli & fratres Domini & Cephas.* Unde vel ex hoc solo testimonio constare potest, *Petrum* aliosque Apostolos sororē seu fidelem fœminam, quæ uxor esset, secum circumduxisse. Neque enim alias fœminas, quàm uxores sine sinistris suspitionibus sibi in itinere adungere potuerunt, secundum illud *Bernhardi serm. 65. in Cantic.* *Si non vis scandalizare Ecclesiam, ejice fœminam.* Denique (7.) Conjugium Clericorū exemplis & testimoniis Veteris Ecclesiæ comprobatur. *Paulus Episcopus & Diaconos esse voluit unius uxoris viros, qui domibus & liberis suis bene præsint.* 1. Tim. III, 2. 4. 12. Certum igitur est, tum temporis Sacerdotes uxoratos fuisse. vid. *Calixt. de Conjug. Cleric. p. 27 sqq.* qui etiam multa testimonia & exempla ex Veteri Ecclesia producit p. 170. 209. 211. 222. 226. 229. 233. add. *Gerhard. conf. Cathol. lib. 2. spec. part. 2. art. 6. c. 4. a pag. 43. ad 135. & lib. 2. part. 3. art. 19. c. 5. pag. 318. seqq.*

Septimum  
argumentū  
Pro Conju-  
gio Sacer-  
dotum.

Argumen-  
ta contra  
legem Pon-  
tificiam de  
Cœlibatu.

p. 241.

§. VII. Ex dictis contra legem Pontificiam de Cœlibatu nunc facilè poterit concludi. Est autem lex talis, ut *Ordini sacro non solum non concedantur matrimonia, sed & contra ea dissolvantur.* Pugnat ea lex (1.) cum mandato divino (2.) jure naturali (3.) consuetudine Ecclesiæ Veteris, uti ex § 4. 5. 6. patet. Est præterea (4.) superstitiosa, dum per eam Cœlibatus ita extollitur, ac si esset mundities, ac mereretur remissionem peccatorum & reconciliationem; Conjugium verò esset immundities & peccatum. vid. *Apolog. §. Quinto. Etsi Adversarii &c.* Ubi istiusmodi figmenta solidè confutantur, doceturq; , Conjugium mundū esse in credentibus, quia est sanctificatum verbo Dei, i. e. est res licita & approbata verbo Dei 1. Tim. IV, 4. 5. Ipsi etiam Papistæ matrimoniū dicunt *Sacramentum.* Cur ergo illud tanquam imundum contemnunt? Est (5.) lex de cœlibatu periculosa, scandala enim publica parit nocetque bonis moribus. Conjicit insuper animas in magna pericula, easque perdit. vid. iterum *Apologia.* Denique (6.) lex quæ prohibet matrimonia, est doctrina Dæmoniorum 1. Tim. IV, 1. 2. 3.

Talis autem lex meritò abolenda est.



DISSERTATIO TERTIA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFENSIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS

Continens

Articulum III.

DE

MISSA,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNÉ KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primario,  
& Mathemat. Ordinario.*Publicæ Eruditorum Disquisitioni subjicit*

JOH. BURCH. HENR. MERCKELL,

Rintelienfis.

IN AUDITORIO MAJORI

*Ad d. 21. Februar. An. 1711.*

Art. III. DE MISSA.



Alsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quod Missam aboleant, retinetur enim Missa apud nos, & summa reverentia celebratur. Servantur & usitata ceremonie fere omnes, præterquam quod Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ ad ditæ sunt ad docendum populum. Nam ad hoc opus est ceremoniis, ut doceant imperitos. Et non modo

E

Pau-



Paulus præcipit uti lingua intellecta populo in Ecclesia, sed etiam ita constitutum est humano jure.

Affuefit populus, ut unà utantur sacramento, si qui sunt idonei, id quoque auget reverentiam ac religionem publicarum ceremoniarum. Nulli enim admittuntur, nisi antea explorati. Admonentur etiam homines de dignitate & usu sacramenti, quantam consolationem afferat pavidis conscientis, ut discant Deo credere & omnia bona à Deo expectare & petere. Hic cultus delectat Deum, talis usus sacramenti alit pietatem erga Deum. Itaque non videntur apud adversarios Missæ majore religione fieri, quàm apud nos.

Constat autem hanc quoque publicam & longe maximam querelam omnium bonorum virorum diu fuisse, quod Missæ turpiter prophanarentur, collatæ ad questum. Neque enim obscurum est, quam latè pateat hic abusus in omnibus templis, à qualibus celebrantur Missæ, tantum propter mercedem aut stipendium, quàm multi contra interdictum Canonum celebrant. Paulus autem graviter minatur his, qui indignè tractant Eucharistiam, cum ait, Qui ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Itaque cum apud nos admonerentur Sacerdotes de hoc peccato, deserunt apud nos privata Missæ, cum fere nullæ privata Missæ nisi questus causa fierent.

Neque ignoraverunt hos abusus Episcopi, qui si correxissent eos in tempore, minus nunc esset dissensionum. Antea sua dissimulatione multa vitia passæ sunt in Ecclesiam serpere. Nunc serò incipiunt queri  
de



de calamitatibus Ecclesie, cum hic tumultus non aliunde sumpserit occasionem, quam ex illis abusibus, qui tam manifesti erant, ut tolerari amplius non possent. Magnæ dissensiones de Missa, de Sacramento extiterunt. Fortasse dat pœnas orbis tam diurne prophanationis Missarum, quam in Ecclesiis tot seculis toleraverunt isti, qui emendare & poterant & debebant. Nam in Decalogo scriptum est, Qui Dei nomine abutitur, non erit impunitus. At ab initio mundi nulla res divina ita videtur unquam ad quæstum colata fuisse, ut Missa.

Accessit opinio, quæ auxit privatas Missas in infinitum, videlicet quod Christus sua passione satisfecerit pro peccato originis, & instituerit Missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus. Hinc manavit publica opinio, quod Missa sit opus tollens peccata vivorum & mortuorum ex opere operato. Hic cœptum est disputari, utrum una Missa dicta pro pluribus tantundem valeat, quantum singule pro singulis. Hec disputatio peperit istam infinitam multitudinem Missarum.

De his opinionibus nostri admonuerunt, quod dissentiant à scripturis sanctis, & ledant gloriam passionis Christi. Nam passio Christi fuit oblatio & satisfactio, non solum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus reliquis peccatis, ut ad Hebræos scriptum est. Sanctificati sumus per oblationem Jesu Christi semel. Item, Una oblatione consummavit in perpetuum sanctificatos.

Item, Scriptura docet nos coram Deo justificari



per fidem in Christum, cum credimus nobis remitti peccata propter Christum. Jam si Missa tollit peccata vivorum & mortuorum ex opere operato, contingit justificatio ex opere Missarum, non ex fide, quod scriptura non patitur.

Sed Christus jubet facere in sui memoriam, quare Missa instituta est, ut fides in iis, qui utuntur sacramento, recordetur, quae beneficia accipiat per Christum, & erigat & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quod verè exhibeantur nobis. Nec satis est historiam recordari, quia hanc etiam Judaei & impii recordari possunt. Est igitur ad hoc facienda Missa, ut ibi porrigatur sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait, Quia semper pecco, semper debeo accipere medicinam.

Cum autem Missa sit talis communicatio sacramenti, servatur apud nos una communis Missa, singulis feriis atque aliis etiam diebus, si qui sacramento velint uti, ubi porrigitur sacramentum his qui petunt. Neque hic mos in Ecclesia novus est. Nam veteres ante Gregorium non faciunt mentionem private Misse. De communi Missa plurimum loquuntur. Chrysostomus ait: Sacerdotem quotidie stare ad altare, & alios ad communionem accersere, alios arcere. Et ex Canonibus veteribus apparet, unum aliquem cebrasse Missam, à quo reliqui presbyteri & Diaconi sumpserunt corpus Domini. Sic enim sonant verba Canonis Niceni: Accipiant Diaconi secundum ordinem post presbyteros, ab Episcopo vel à presbytero sacram  
com-



communione. Et Paulus de communione jubet, ut alii alios expectent, ut fiat communis participatio.

Postquam igitur missa apud nos habet exemplum Ecclesie, ex scriptura & patribus, confidimus improbari eam non posse, maxime cum publicæ ceremonie, magna ex parte similes usitatis servantur, tamen numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certè moderari prodesset. Nam olim etiam in Ecclesiis frequentissimis non fiebat quotidie Missa, ut testatur historia Tripartita lib. 9. cap. 38. Rursus autem in Alexandria quarta & sexta feria scripturæ leguntur, easque doctores interpretantur, & omnia fiunt præter solennem oblationis morem.

## §. I.



Vocabulum *Missa* variæ esse acceptionis, nemini ignotum esse potest. Communis ejus significatio est, cum per illud notatur tota divini officii celebratio, ubi Eucharistia consecratur. Atque ita dicitur à *missione* seu *dimissione* populi. Veteres enim in Ecclesia latina dixerunt *Missam*, *dimissionem* ipsam. Hæc autem *dimissio* erat vel *Catechumenorum* ante administrationem Eucharistiæ, vel totius multitudinis post celebrationem Eucharistiæ. Huc pertinet: quod in *Can. 48. Concil. 4. Carthag.* jubetur Episcopus, nullum prohibere ingredi Ecclesiam, & verbum Dei audire, sive Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad *missam* seu *dimissionem Catechumenorum*. Et quod *Augustinus serm. 37. de temp.* inquit. *Post sermonem fit missa Catechumenis*. Et *Ambros. l. 5. ep. 33. mansi in munere meo, missam facere cepi*.

*Vocis Missæ origo est, à mittendo. Nam in dimissione populi hac facta acclamatio: Ite, missa esto.*



cap. Hoc est, uti sequitur, *dimisi populum*. Fuitque Vocabulum *Missa* jam tum medio seculo tertio in usu, uti quidam ex *Cornelii Romani Episcopi ad Lupicinum Viennensem Episcopum* epistola coniectant: Ita enim scribit: *Scias frater charissime, arcam Dominicam Vento persecutionis acerrime commoveri, & edictis imperatorum Galli & Volusiani Christianos ubique tormentis variis affici. Nam in Urbe Romana Imperator ad hoc constitutus est. Unde publice neque in Cryptis Missas agere Christianis licet.* vid. *Dannhaw. Christeis* p. 257.

Quidam  
Missam  
dici volunt,  
quod oblatio  
& preces  
ad Deum  
mittantur.

§. II. Quidam Ecclesiæ Romanæ Scriptores latinam quidem concedunt vocabuli *Missa* originationem, alias tamen afferre solent rationes. *Missam* enim, vel dici volunt; quod oblatio & preces ad Deum mittantur, ut *Hugo de S. Victore* l. 2. de *Sacram. part. 8. cap. ult.* allegatus à *Bellarmino lib. 1. de Missa cap. 1.* vel quod *Angelus* à Deo mittatur, qui sacrificio assistat, & ad DEUM illud deferat, quod minus probabile censet *Bellarminus*; & tamen ita docuit *Pet. Lombard. Magister Sentent. l. 4. d. 3. lit. A.* Item *Thom. Aquin. part. 3. q. 84. art. 4. resp. ad 9. fol. 115. Edit. Venet. de An. 1496.* sic sentit & loquitur: *Propter hoc etiam Missa nominatur, quod per Angelum Sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per Sacerdotem; vel quod Christus est hostia nobis missa à Deo, unde & in fine missæ Diaconus in festiuis diebus populum licentiæ dicens: Ite missa est, scilicet hostia ad Deum per Angelum, ut sit Deo accepta.* Hac tamen *Thomæ* autoritate non obstante ipse *Bellarminus* l. cit. communissimam sententiam esse ait, quod *Missa* dicatur à *missione* sive *dimissione* populi.

An vox  
MISSA sit  
hebrææ ori-  
ginationis?

§. III. Sunt etiam, qui originem Vocis *Missa* ex voce hebraica מסרה deducunt vid. *Baron. ad An. 34. n. 59.* *Alphons Salmeron Tom. 9. p. 212. 213.* idemque factum videtur ab Autoribus *Apolog. Aug. Conf. p. 271.* cum opinionem, quod *missa* dicatur ab altari מבה ita confutant: *Quorsum opus est procul querere etymologiam? cum exiter nomen Missa Deut. XVI. Ubi significat collationes seu munera populi.* Verùm hæc opinio jam-



jamdudum rejecta, istaque sententia, vocem esse Latinam & à Latinis primùm usurpatam in celebratione Eucharistiæ, communiter recepta est. Si enim vox ista esset hebraica, atque ab Apostolis, uti hi Autores volunt, adhibita, haut dubiè retinuisset eam Græci & Syri, utiretinuerunt alias similes voces *Amen*, *Alleluja*, *Sabaoth*, *Satan*, *Sabathum*, *pascha*. Atqui apud Græcos nulla est mentio vocis *Missa*, Syri autem & Maronitæ pro vocabulo *Missa* dicunt *Code-scha*, i. e. *Sacrum*, *Sanctum*, uti ipse docet *Bellarminus l. 1. de Missa cap. 1.* qui insuper & hoc addit, quod *Origenes*, *Epi-phanus*, *Justinus* &c. nunquam hac voce utantur, quod tamen fecissent, utpote hebrææ linguæ periti. Imò si vox illa hebraica esset, non *Missa* sed *Missah* scribendum, quod tamen non fit. vid. *Vasquet in 3. part. Tom. 3. disp. 221. cap. 1.* Hinc alii quoque Doctores Rom. Ecclesiæ monent sodales suos, non esse somniandum, ab Hebræo derivari nomen *Missa* Christianorum, esse enim hanc derivationem obnoxiam Calumniis hæreticorum, cum tributis significatio in מִסָּה latitet, atque hac ratione exprobari possit *Missa*, quod sub ejus prætextu populus Christianus variis exactio-nibus oneretur. Aliunde etiam præsumi posse ajunt, *Missa* vocem ab hebræo non derivari; quia Christo non de-fuissent vocabula alia in V. T. usitata, ut *Todah*, *Mugasch*, *Mincha*, quæ criminationibus Adversariorum ita non sint exposita. *Missa* enim vocabulum à מִסָּה derivatum hæc habere fata, ut ab Adversariis dicatur, nullum commodius ad avaritiam & luxum Sacerdotum exprimendum inveniri potuisse. Rectè itaque scribit *Casaubonus Exercit. XVI. ad Baron. §. 9. pag. 181.* *Nomen missa hebraicum esse vel chaldaicum, putidissimum commentum est hominum neque Hebraicas neque chaldaicas literas intelligentium, aut certè judicii prorsus nullius.* *Apologia* verò *Augustana Confessionis* נגד' אשפוטון & ex Adversariorum hypothesi loqui videtur, hoc sensu: Si *Missa* ab hebræa radice deduci debet, non opus est, ut à

מזבח

*Bellarmino*  
aliiq; scri-  
ptores Ro-  
mani ne-  
gant, vo-  
cem *Missa*  
esse hebrai-  
cam.

*Apologia*  
*A. C.* non  
deducit no-  
men *Missa*  
ex Hebræo.



non derivetur, cum Deut. XVI. reperiatur aliud vocabulum, quod *Missæ* quoad literam & rem significatam accommodari potest. Non ergò ex Hebræo derivatio vocis *Missæ* petenda est, sed retinenda communis sententia initio §. I. proposita. Unde nec *Lutherus* super *Dan. c. XII. §. 8.* de *DEO Maozim* loquens originationem proposuit, sed allusionem ad missam, & reliqui cultus Anti-Christiani copiam idololatricam, jactitatumque illud sacrificium Romanensium, Plura de Origin. Vocis *Missæ*, ejusque usurpatione vid. in *Hulfeman. Man. A.C. disp. 22. §. 4. §. p. 1518. seqq.*

§. IV. Relicto autem hoc dissidio Grammaticali de Origine Vocis *Missæ*; dispiciendum potius erit, quid per *Missam* intelligat *Augustana Confessio*, cum dicit: *Falsò accusantur Ecclesie nostræ, quod Missam abolant, retinentur enim Missa apud nos, & summà reverentia celebratur &c.* Nempe per vocabulum *Missæ* h. l. innuitur *Missæ* illa Christiana & communis, quæ est consecratio & distributio sanctæ *Eucharistia* inter *Sacerdotes* pariter & *populum*. Sic enim *Confessores* h. art. loquuntur: *Est igitur ad hoc faciendâ missa, ut ibi porrigatur Sacramentum his, quibus opus est consolatione, sicut Ambrosius ait; Quia semper pecco, semper debeo accipere Medicinam &c.* Atque hanc *Missam* probant ex *1. Cor. XI. 20. seq. Canonibus antiquis Conc. Nic. Can. 18. Concil. Tol. IV. Can. 17. &c.* Concluduntque tandem: *Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesia ex Scriptura & Patribus, confidimus, eam improbari non posse &c.* Quæ res in Exemplari Germanico clarius adhuc exprimitur, rejiciturque *Missæ* ista gesticatoria, quæ dicitur sacrificatio pro vivis & mortuis. *Diemeil nun die Messe nicht ein Opfer ist für die Lebendigen und Todte/ ihre Sünde wegzunehmen/ sondern soll eine Communion sein; da der Priester und andere das Sacrament empfangen für sich. So wird diese Weise bey uns gehalten/ daß man an Feyertagen (auch sonst so Communicanten da sind) Messe hält/ und etliche so das begehren/ communiciret.*

Also



Also bleibt die Messe bey uns in ihrem rechten Brauch / wie sie vorzeiten in der Kirche gehalten / wie man beweisen mag aus S. Paulo/dazu auch vieler Väter Schrifften zc.

§. V. Atque in hac significatione Protestantés Vocabulum *Missæ* accepisse, Pontificii Doctores, qui *Confutationem* adornarant, satis superque percepere, dum scribunt: Daß Sie (Die Protestantén) weiter fürwenden/ Christus werde in der Messe nicht aufgeopfert/ das ist/ als vormahls verdamit/ und von den Gläubigen verworffen/ gänzlich nicht zubilligen. vid. *Chytrai Histor. Aug. Conf. fol. 149.* Dum itaque operosi in eo sunt, ut *Missam* Sacrificium esse probent, non tamen eò procedere ausi sunt, ut Electorem Saxonix aliosque Germanix Principes contra veritatem aliquid dixisse aut scripsisse asserant, quod in suis Ecclesiis *Missam* non abrogari professi sint. Leg. iterum *Chytræus Hist. A.C. p. 185. seq. & 194. seq. 206. 207. seq.* Hinc intelligi potest, Pontificios, dum nostras Ecclesias accusant, quod *Missam* aboleant, intendere digitum ad *Sacrificium Verum ac proprium, meritorium & propitiatorium*, quod Protestantés in missa nunquam admittere voluere. Hoc tamen non obstante, Papistæ tempore exhibitæ A. C. & amica *Traçtationis* concessere, retineri in Protestantium Ecclesiis *Missam*, nemo enim contradixit huic Confessione: Es ist öffentlich/ daß die Messe bey uns mit grösserer Andacht und Ernst gehalten wird/ denn bey den Widersachern.

§. VI. Uti autem *Missam* in sensu vero & genuino in nostris Ecclesiis retinemus, & cum primitiva Ecclesia celebramus; ita eam in sensu pontificio rejicimus, meritoque referimus ad *abusus in excessu peccantes*. Pontificii enim *Missam* transmutarunt in opus toto genere differens à Cœna Domini, in *sacrificium* nempe *verè propitiatorium pro peccatis viventium & mortuorum*, atque sic turpiter eam contaminarunt. Fecere deinde Romanenses ex *Missâ opus operatum*, quod suam vim & efficaciam exerat in communi-

*Ipsi Doctores Pontificii fateri coguntur, Protestantés per Missam intelligere Sacrorum actuum complexû.*

*Idem Concedere coguntur, in nostris Ecclesiis retineri Missâ.*

*Missâ Romanensium multis modis contaminata est, indeque merito improbat. A.C. p. 26.*

F

canti-



pag. 25.

Missæ uberrimè parit quæstum stabilisque autoritatem Sacerdotum.

Refertur Missæ Pæpisticæ apparatus & celebratio ex Sleidano.

cantibus, citra hoc, quod communicantes talem fructum ex animo desiderent. Præterea composita est Missa in Patu ad quæstum, ita ut verè dicat Aug. Confessio: ab initio mundi nullam rem ita ad quæstum colletam fuisse, ut Missam &c. Hinc Sam. de Pufendorf c. XII. Introduct. in Hist. §. 33. has nundinationes ita exagitat: Man hat die Messe ohne Communicanten eingeführt, und sie für ein Opfer für Lebendige und Todten ausgeruffen, damit Lebendige und Todte unter Contribution gesetzt würden. Denn nichts Wichtiges wird von Jemand angefangen, man lässet erst zu gutem Fortgang eine Messe lesen. Kein Vermögender stirbt, der nicht eine Quantität Messen für seine Seel zu lesen verordnet; wofür der Priester sein Gebühr haben muß! Et Jur. Ecc. Div. p. 42. seqq. Add. Sev. de Monzamb. c. 8. de Statu Imper. Germ. §. 8. ubi de hac re ita scribit: Missæ nihil accommodatius ad lucrum & autoritatem Sacerdotum promovendam. Nam quis tam salutarem operam navanti præmium negare velit? Aut quis non adoret homines tam Venerabiles victimam murmure suo producere valentes?

§. VII. Si quis præterea Canonis missæ magnitudinem consideret, advertatque, quàm pauca in eo cum institutione S. Cœnæ convenient, & quàm multa dissona reperiantur, observenturque, is de Missæ abusu non amplius dubitabit. Lubet totam rem ex Joh. Sleidani Comment. de Statu Relig. exhibere, ut lector de Sacrificulorum nugamentis in Missæ celebratione observari solitis judicare possit. Sic autem laudatus Scriptor lib. XXI. circa initium An. 1550. p. m. 1137. seq. loquitur. Ingens erat (Argentorati) hominum concursus, maxime juvenuris. Nam his omnibus novum erat spectaculum & inauditum, multos ibi raso vertice, novo genere vestitus, cantare simul, quæ nemo intelligat, cereos atque lampades ardere in ipsa quod dicitur meridie, fumigationes atque suffitus excitari thuribus, sacrificium astare cum Ministris ad aram, pronunciarè omnia sermone peregrino, variis uti geniculationibus atque gestibus, inclinari strictis manibus, modo distendere, modo reducerè  
bra



brachia, subinde sese convertere, nunc esse clamosum, nunc magno silentio quadam demurmurare, suspicere in altum, esse pronum, consistere non uno loco, nunc in dextram, nunc in levam partem altaris commigrare, micare digitis, inhalare calicem, eumque tollere in sublime, postea reponere, certis locis nominare nunc vivos, nunc mortuos, panem azymum frangere & in calicem immittere, pectus ferire pugno, suspirare, clausis oculis representare somnum, vursus expergisci, manducare partem unam panis, alteram haurire cum vino totam, ne qua guttula remaneat, abluere manus, patellam deauratam, aversum extenso brachio demonstrare populo, admovere eandem fronti atque pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam materia vel metallo inclusam: Hæc inquam & id genus alia juvenus non sine admiratione & stupore, neque sane sine risu spectabat, & vix cohiberi potuit. Unde nostræ Ecclesiæ tot tantosque Missæ abusus observantes, ipsum nomen cum re Romanensibus reliquerunt, sicuti nomina Tyranni, Sophistæ &c. facta sunt exosa.

§. VIII. Patet ex dictis, Vocem Missæ in hoc articulo pro diversitate Prædicatorum diversimodè accipi; Vel enim in sensu catholico sumitur pro vero S. Cœnæ usu secundum institutionem Christi & Ecclesiæ consuetudinem, & hic sensus obtinet, cum de Missa retinenda & probanda sermo est. Vel vox Missæ accipitur in sensu Papistico, cum notatur turpis Sacramenti Cœnæ profanatio per varios abusus §. 6. recensitos. Sed de his plura dicere opus non est. Ad ipsam rem accedo, quæ hoc art. præcipuè in quæstionem venit. An nempe Missa sit sacrificium propriè dictum? Ubi si nomen sacrificii accuratius evolvere velimus, tenendum, illud in generalissima significatione omnes actiones sacras denotare, est enim sacrificium quasi sacrum factum; in specialiori autem cultum divinum, quo fit, ut sancta Societate adhareamus Deo. Vocari aliàs solet sacrificium Spirituale, quo vel est innernum, ut spiritus contribulabulatus, vel externum, quale est elemosyna, atque hoc sensu antiqui Patres S. Cœnam sæpe

F 2

vo-

Propter abusus Missæ Protestantes ipsum nomen cum re Romanensibus reliquerunt.

Quando vox Missæ in hoc art. sumatur in sensu catholico: quando in Papistico, ex prædicatorum diversitate intelligitur.

An Missa sit sacrificium propriè dictum?

Varia exceptio vocabuli Sacrificii.





vocant *sacrificium & oblationem*. Ita homines orantes *Augustinus in Ps. XCV dicit victimas incruentas & hostias Deo gratissimas, lit. LL fol. 4. Edit. Basil de An. 1489. Quò referri debet, cùm per metonymiam S. Eucharistia dicitur Sacrificium, quà veri ac unici Sacrificii Christi monumentum est. In memoria nostra, ait Augustinus præfat. in secund. expos. Psal. XXI. omni anno fit, quoties pascha celebratur. Numquid toties Christus moritur? Non, sed tamen anniversaria recordari quasi presentat, quod olim factum est, & sic nos facit moveri, tanquam videamus in cruce pendentem Dominum lit. D. fol. 8. Idem August. Epist. XXIII. ferè circa finem similia lectori suggeret. Denique in specialissima significatione Sacrificium notat actum ritumque externum verbo Dei definitum, in quo soli DEO res aliqua externa sensibilis & permanens consecratur ac destinatur, actus offeritur & mutatur mutatione destructiva, ita ut planè destruat, sicque mutetur, ut desinat esse id, quod antea erat. vid. Bellarm. l. 1. de Missa cap. 2.*

*Quid noter  
Sacrificiū  
in specialis-  
sima & prop-  
riissima  
significati-  
one?*

*Proponitur  
status Con-  
troverſia  
inter nos &  
Pontificios.*

§. IX. Cùm ergò h. l. controversia movetur: An *Missæ sit sacrificium?* non est quæstio, an missa quocunque modo possit dici Sacrificium, id enim ultro largimur, & ipsa *Apologia A. C. h. Art. concedit. Conf. Gerhard. Conf. Cathol. l. 2. spec. part. 2. art. 15. p. m. 1150. Quin & Bellarminus l. 1. de Missa c. 5. ita statum quæstionis format; Quæstio principalis, inquit, cùm hereticis hujus temporis non est de Sacrificio spirituali aut improprio, sed de Sacrificio externo, visibili, & propriè dicto. Unde res tota huc redit: an in Missa tanquam externo, visibili ac verè & propriè dicto Sacrificio sub speciebus panis & vini Sacrificuli corpus & sanguinem Christi DEO offerant, vel offerre debeant? Affirmant quæstionem h. m. propositam Pontificii, uti patet ex *Concil Trident. Sess. 6. Cap. 1 & 3. Si quis dixerit, in missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium, anathema sit. Si quis dixerit: Missæ Sacrificium esse tantum laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit. Et ex Bellarmin. l. 1. de**



de Missa c. 5. Negant verò Protestantes, atque sequentia urgent argumenta. I. Ubi res offerenda non destruitur, ut desinat esse, quod erat, ibi non est sacrificium propriè dictum; Atqui in Missa s. Eucharistia res offerenda non destruitur, ut desinat esse, quod erat; aliàs enim Christus toties mactaretur aut occideretur, quoties Sacrificii missificans. In missa itaque non est sacrificium propriè dictum. Cujus argumenti vim ut effugiant Adversarii, dilabuntur ad distinctionem inter *cruentum* & *incrumentum* Sacrificium. *Crumentum* vocant, quo Christus in ara crucis Deo Patri oblatus est pro expiatione nostrorum peccatorum, & hoc sacrificium peractum esse ajunt per occisionem Christi & sanguinis ejus effusionem. *Incrumentum* esse dicunt, quo Christus absque mactatione, & effusione Sanguinis sub specie panis & vini quotidie offertur in altari in memoriam cruenti illius Sacrificii. Concedunt itaque propositionem majorem de Sacrificio cruento acceptam, negant autem de Sacrificio incrumento, quale *Sacrificium* Missam esse contendunt. Verum ista distinctio absque idonea ratione conficta est. Propriè dictum enim Sacrificium propitiatorium Sanguinis effusionem requirit. *Absque sanguinis effusione nulla fit remissio* Hebr. X, 22. Sicuti in V. T. nullum quoque Sacrificium sine sanguinis effusione fuisse *Bellarminus* fatetur l. 1. de Missa c. 25. Ut itaque hæc Adversariorum exceptio de incrumento Sacrificio enervetur, urgeo porro ita: Vel illud incrumentum Sacrificium est propriè dictum, aut non. Si propriè dictum, debent ei convenire requisita propriè dicti Sacrificii, inter quæ & illud est, ut res, quæ offertur, destruat. Atque sic argumentum nostrum adhuc inconcussum stat. Si verò incrumentum *Sacrificium* non est Sacrificium propriè dictum, nil dicitur in ista distinctione, quod ad rem facit, quæstio enim est de sacrificio propriè dicto, quale Adversarii Missam esse dicunt.

§. X. Repugnat deinde hæc Pontificiorum doctrina unice oblationi semel peragenda & semel peractæ Hebr. VII, 27. c. IX, 12. 26. 28. c. X, v. 2. & 10. Quicquid enim semel per-

Papæ docent, in Missa offerri.

Deo sacrificium propriè dictum.

Impugnatur ista sententia.

Argumentum primum Exceptio.

Solvitur.

Distinctio Sacrificii in cruentum & incrumentum nullo fundamento.



*Argumentum secundum contrarium a Missa Sacrificium ex Hebr. VII. 27. &c.*

*Tertium argumentum.*

*Missæ semetipsam multis contradictionibus involvit.*

*Missæ non est sacrificium propitiatorium.*

*Obiectio.*

perfectum est, illud quotidie fieri non debet, nec opus habet repræsentativa reiteratione, qualis in V. T. fuit frequentissima. *Unicâ oblatione (non pluribus) consummavit* ut in Missa nihil amplius expiandum super sit in æternum eos, qui sanctificantur. Dum verò reiterationis sacrificii excluditur, non est intelligenda reiterationis fiducialis & applicatoria, ea enim omninò admittitur; Sed reiterationis sacrificialis rejicitur tanquam injuria in perfectissimum sacrificium. Præterea ex ipsa Pontificiorum confessione argumenta peti possunt. In Concilio Tridentino testante *Petr. Suar. lib. 6. Hist. XXIII.* Episcopi hanc sententiam propugnarunt, *Christum in primâ cœna non sacrificasse. Addita ratione, Semel tantum seipsum obtulisse in cruce.* Si autem in Eucharistia sacrificasset, bis seipsum obtulisset, quod absurdum. Hinc porrò inferri potest: Si Christus non sacrificavit, nec Apostoli hoc fecerunt vid. *Gerhard. l. cit. & Damb. Mysterior. Sect. 2. art. 1. §. 50. § 1.* ubi quoque ostendit, contradictionibus Missam semetipsam involvere. Est enim *Sacrificiū & quidem propriè dictum secundum Pontificios, Et tamen non-sacrificiū, quia est sine immolatione, & mutatione destructiva, ut victima desinat esse, quod antea erat. Est deinde Sacrum & non-sacrum, illud, quia sacrificiū dicitur quasi sacrum factum. Hoc, quia est mercenarium, uti experientia testatur. Est præterea satisfactio, & non-satisfactio; Si enim Sacrificiū Christi quotidie reiterari debet, non satisfacit Hebr. IX. 26.*

§. XI. Ex quæstionis de sacrificio Missæ decisione hujus quoque dependet resolutio: *An missa sit Sacrificiū propitiatorium, nec ne?* Nempe cum missa Sacrificiū non sit, nec propitiatorium esse poterit. Valet enim Consequentia à negatione generis ad negationem Speciei. Interim *Bellarminus l. 2. de Missa cap. 2. seqq.* affirmativam pertinaciter tueretur. Lubet hic unicum tantum argumentum examinare, ut ex ejus discussione Veritas magis illustretur. *Persumpsit illud Bellarminus ex Verbis institutionis. Verba illa inquit, Hic est sanguis, qui pro Vobis funditur in remissionem peccatorum, aperit*



aperiè docent, Christum in Cœna obtulisse Sacrificium pro peccatis Apostolorum. Idem autem est Sacrificium nostrum cum illo, quod in Cœna oblatum fuit. Respondetur enim, Christum non obtulisse in Cœna Sacrificium pro peccatis Apostolorum, neque ex Verbis Instituit. illud probari posse; cum verba ista: *hic est sanguis, qui pro vobis funditur.* Respiciant effusionem Sanguinis in cruce factam. Id enim clarè docet Epistola ad Hebræos I. cit. *Christum semel sanguinem suum pro nobis effudisse, nec immolationem fieri absque sanguine, nec sanguinem sacrificii dari nisi in immolatione.* Idque porrò ex eo constare potest, quod ipsimet Pontificii dicant, Christum in Cœna celebrasse sacrificium incruentum, quod absque sanguinis effusione peragitur. Quare allegata Verba Institutionis non possunt hoc modo explicari, quod Christus in prima Cœna sanguinem pro Apostolis effuderit. Idem de *impetratorio Sacrificio* tenendum, quod de propitiatorio dictum. Vocatur autem *impetratorium Sacrificium* illud, cujus virtute omnis generis beneficia impetrantur. De hoc sacrificio ita *Bellarminus*: *Si oblatio Eucharistiæ valet pro dimittendis peccatis, debet etiam valere pro aliis necessitatibus, quæ ex peccato orta sunt. Et si Deus hoc sacrificio placatus in gratiam cum inimicis suis redit, quântò facilius ob idem sacrificium adducetur, ut amicis & reconciliatis bona temporalia tribuat, si id eis utile fuerit.* Et notum est ex praxi, etiam pro salute porcorum *Rome* Missas haberi posse. Dicendum autem ad hæc omnia, accuratè & propriè loquendo nullam fieri in Cœna oblationem per modum Sacrificii, indeque nec dici posse, Eucharistiæ oblationem valere pro peccatis dimittendis. Hoc tamen asserendum: Eucharistiæ a communicantibus fide acceptam valere ad remissionem peccatorum, non per modum *Sacrificii*, sed per modum *Sacramenti*, per fidem enim in Christum obtingit nobis remissio peccatorum, & per Sacramenta obsignatur nutritur & augetur fides. Quandocumque ergò Patrum locutiones obijciuntur, quibus dicitur, offerri Deo Patri corpus & sanguinem Christi in S. Cœnæ celebratione ad remissionem Peccatorum:

tum

Solvitur.

An detur  
sacrificium  
impetrato-  
rium?

Propriè lo-  
quendo in  
S. Cœna  
nulla fit  
oblatio.



tum istæ explicandæ sunt de *oblatione*, quæ fit per preces, cum Deus invocatur, ut per mortem Filii sui pro nobis crucifixi, cujus carnem edimus, & sanguinem bibimus in remissionem peccatorum, nobis sit propitius & peccata condonet. Qualem verò Pontificii *oblationem* intelligant, satis produnt, dum corpus & sanguinem Christi tanquam sacrificium Deo Patri offerri asserunt, quod vim habeat impetrandæ remissionis peccatorum & aliorum beneficiorum, partim *ex opere operantis*, seu Sacrificii offerentis sacrificium, partim *ex opere operato*, h. e. ex bonitate ipsi<sup>o</sup> operis, ut *Bellarmin. l. 2. c. 4. de Missa explicat.* Quod dogma vel ex solo dicto 1. Cor. XI, 26. seq. impugnari potest, ubi dicitur, quod S. Cœna ex fide accipientis vim habeat in remissionem peccatorum; nullibi verò effectus Eucharistiæ salutaris refunditur in bonitatem aut dignitatem Ministri *operantis*, S. Sacramentum ministrantis; Aut in ipsam actionem seu administrationem Cœnæ, quæ *opus operatum* dicitur.

*Effectus salutaris Eucharistiæ non pendet ex opere operantis, nec ex opere operato.*

*Missa pro defunctis oblata, & solitaria improban-  
tur.*

§. XII. Quo loco ergo habenda sit *Missa* pro defunctis oblata, ex dictis facile judicare licet. Pugnât nempe istiusmodi *Missa* cum Verbis Institutionis Matt. XXVI, 25. quæ volunt, ut j. quibus Sacramentum prodesse debet, edere & bibere possint. Mortuis verò non datur corpus ad manducandum, vel sanguis ad bibendum. Ex eadem causa *Missa privata* s. *solitaria* rejiciendæ sunt, in iis enim Minister non facit, quod Christus fecit, hoc est, non distribuit corpus & sanguinem inter communicantes, est igitur hæc communio sine communiōe. Plura dicturum cohibet chartæ angustia. Legatur *Dorscheri Mysaria Missæ, & Dannhauer H. P. p. 194. seqq.*

#### COROLLARIA.

1. Nummum Missalem, seu oblatorium, vulgo den *Opffer-Pfennig* / æquæ ac confessionalem dare licet Ecclesiæ Ministris.
2. Pædobaptisum Apostolorum temporibus jamtum viguisse ex Scriptura ostendi potest.
3. Non Samuelem verum 1. Sam. XXVIII. Sauli apparuisse, sed præstigias Sati-  
næ fuisse, ex circumstantiis Textus constat.





DISSERTATIO QUARTA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFESSIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS

Continens

Articulum IV.

DE

CONFESSIONE,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNÉ KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primario,

&amp; Mathemat. Ordinario.

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni subjicit*

JOH. BURCHARD. ESMANN,

Sachsenhaga-Schaumburgicus.

IN AUDITORIO MAJORI

*Ad d. 27 Februar. An. 1711.*

## Art. IV. DE CONFESSIONE.



*Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita. Non enim solet porrigi corpus Domini, nisi antea exploratis & absolutis. Et docetur populus diligentissime de fide absolutionis, de qua ante hæc tempora magnum erat silentium. Docentur homines, ut absolutionem plurimi faciant, quia sit vox Dei, & mandato Dei pronuncietur. Ornatur potestas clavium,*



& commemoratur, quantam consolationem afferat  
 perterrefactis conscientiis, & quod requirat Deus  
 fidem, ut illi absolutioni tanquam voci de caelo sonanti  
 credamus, quod illa fides in Christum verè conse-  
 quatur & accipiat remissionem peccatorum. Antea  
 immodicè extollebantur satisfactiones: Fidei verò &  
 meriti Christi ac justitiæ fidei nulla fiebat mentio.  
 Quare in hac parte minimè sunt culpanda Ecclesiæ  
 nostræ. Nam hoc etiam adversarii tribuere nobis co-  
 guntur, quod doctrina de pœnitentia diligentissimè à  
 nostris tractata ac patefacta sit.

Sed de Confessione docent, quod enumeratio de-  
 licitorum non sit necessaria, nec sint onerandæ con-  
 scientiæ curâ enumerandi omnia dilecta, quia impos-  
 sibile est, omnia dilecta recitare, ut testatur  
 Psalmus XIX, 13. Delicta quis intelligit? Item  
 Jeremias: Prævum est cor hominis & inscrutabile.  
 Quod si nulla peccata nisi recitata remitterentur,  
 nunquam acquiescere conscientiæ possent, quia pluri-  
 ma peccata neque vident neque meminisse possunt.  
 Testantur & veteres Scriptores, enumerationem  
 non esse necessariam. Nam in Decretis citatur Chry-  
 sostomus, qui sic ait: Non tibi dico, ut te prodas in  
 publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire  
 te volo Prophætæ dicenti: Revela ante Deum vitam  
 tuam. Ergò tua confitere peccata apud Deum, ve-  
 rum judicem, cum oratione. Delicta tua pronuncia  
 non linguâ, sed conscientiæ tuæ memoriâ, &c. Et  
 glossa de pœnitentia, Distinct. 4. capit. Consideret,  
 fatetur humani Juris esse Confessionem, Verum



confessio, cum propter maximum absolutionis beneficium, tum propter alias conscientiarum utilitates apud nos retinetur.

§. I.



**A**D abusus circa res sacras in excessu peccantes merito refertur Confessio auricularis, uti in Ecclesia Romana viget. Onerat enim conscientias curam enumerandi singula peccata, atque ita impossibilia exigit, perpetuaque anxietate & inquietudine Poenitentes vexat. Deinde ipsi Scriptores Pontificii agnoscunt incommoda Confessionis auricularis, vid. *Georg. Wicelius in Compend. de Semit. antiquis.* Et nimis sunt nota flagitia, quae sub umbra confessionis committuntur. Considerentur tantum formulae interrogationum, quas Virginales hi mystae confidentibus proponunt, & apparebit animus interrogantium. Specimen illustre dedit *Sanchez* in volumine de Sacramentis, & ex eo *Laur. Soares* in sua Epitome *Aph. 8. §. 35.* add. *Valerii Reginaldi praxis difficil. Cas. Consc. part. 2. q. 24.* in quibus tales spurcicias legere licet, quas pudor commemorare vetat. Praeterea docuit jamdudum experientia, Monachos complures non amore pietatis hanc Confessionem urgere, sed ut hinc auferant luculentam messem, dum, ut loquitur *Erasmus* in libello de modo consistendi, regnant in aedibus Divitum, quorum secreta norunt, dum adsunt morientibus, dum arroddunt testamenta &c. Cumque totus mundus tunc plenus fuerit sermonum de istiusmodi Monachorum artibus & sceleribus, excitati subinde sunt, qui scriptis eorum facta exagitarent, vivisque, quod dicitur, coloribus depingerent. Lepidum in hanc rem *Euricii Cordi Semeshusii Hesi epigramma 25. lib. XI.* ita sonat:

Captator moechus morientem quaesit Aulum,  
Legatas Patribus num dare vellet opes.

G 2

Recensentur abusus Confessionis auricularis Papistarum.

Confessionem auriculari Monachi eo sine urgent, ut lucrum inde auferant.

Sup.



Supposuitque simul cervici fraude sinistram,  
 Movit, ut adjutans rolleret ille caput.  
 Id cernens simili sic filius arte rogavit:  
 Vis ut det penas furcifer ille suas?  
 Correproque statim, quo cinxit is ilia, fune,  
 Suspendii sanctum per laqueare Virum.

Vid. quoque epigramma 55. lib. XIII.

§. II. Hic itaque de Confessione auriculari Articulus

Articulus  
 de Confes-  
 sione in  
 Papatu ef-  
 formatus est  
 ad rationē  
 status Ec-  
 clesiastici.

pro statu Reipublicæ Ecclesiasticæ sic formatus est, ut cum reliquis aptè cohæreat, augeaturque opes & autoritatem Sacerdotum. Quod laudatus sæpè Illustris Sam. de Pufendorff Introduct. Histor. c. XII. §. 33. his verbis expressit. Die un- endliche Beicht-Bücher / damit man grosse Ost-Indien-Fahrer beladen könte / sind nicht zu dem Ende geschrieben / daß der Sünden gesteuert / sondern daß durch ders Tax die Herrschafft der Clerisy befestiget / und ders Geiz ernehret würde. Die Lehre von Vergebung der Sünden hat man ganz nach der Clerisy Interesse eingerichtet. Denn weil es dieser keinen Profit brachte / daß einer / der seine Sünde bereuete / ders Vergebung durch das Vertrauen auf das Verdienst Christi allein erlangen könte / so lehrte man / es gehöre zur rechten Buß und Vergebung der Sünden / daß man alle und jede Sünde dem Priester Haarklein müste erzehlen. Wodurch Sie nicht allein die Leute in ihrer devotion halten / auch solche impressiones Ihnen geben können / als es in ihren Kram dienet; sondern Sie erfahren auch dadurch alle Heimlichkeiten / Anschläge / Vorhaben und Humeur, so Ihnen zu guter Nachricht dienen könnent; ungeachtet Sie sonst nichts aus der Beichte schwätzen müssen. Facile hæc omnia credit, qui Taxam sacrae penitentiariae Apostolicae, prout Romæ An. 1514. & postea Parisiis aliisque in locis impressa, tandemque Sylvæ-Ducis An. 1664. recusa est, perlegerit. Prostat, inquit Espensæus Epist. ad Tit. cap. I. & in questu pro meretricæ sedet, liber palam ac publice hic impressus, & hodieque ut olim Venalis, Taxa Camera seu

Caus.



*Cancellaria Apostolica inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quam in omnibus omnium vitiorum summistis & Summariis, & plurimis quidem licentia, omnibus autem absolutio empturientibus proposita. Mirum hoc tempore, hoc schismate non suppressum tot tamque fœdorum tamque horrendorum scelerum veluti indicem adeo infamem. Crimina enim enumerantur pag. 91. seq. in ista Taxa, eorumque impunitas pretio venditur, & cum aliis Deus incestum adeo execretur, ut morte etiam piandum iusserit Levit. XX. vers. 11. & 14. Roma tamen hoc flagitium tantillo pretio 34. praterpropter gross. redimitur, uti ex pag. 95. Taxa liquet. Unde etiam Claudius Espensæus citat versum ex Mantuano.*

*Hæu! Roma nunc sola Pecunia regnat.*

Poduit certè postea ipsos Auctores hujus foetus, indeque conati sunt eum suffocare, & in indice librorum prohibitorum atro notare calculo. Interim tamen circumtulerunt in sinu conditum, quibus editus erat, *Scriptores Apostolici, Plumbista, Datarii, Bullarumque Magistri*, ut nempe ad normam & præscriptum ejus Taxa, aliunde adventantes Romipetas are suo emungerent. Quamvis autem hic modus corradendi pecuniam ita non amplius vigeat, Confessio tamen quæstuosa esse non desinit, uti docet praxis. Sie erfordern auch / inquit S. Pufendorf. l. c. Satisfactionem operis nach des Priesters Erkântnis / da es für Ihn eine gute Erndte gibt. Denn obwohl die aufgelegte Pœnitenz oft nur auf gewisse Gebåhte / Wahlfahrten / Fasten / Geißeln und dergleichen aufgethet; so werden doch oft auch sonderlich die Reichen verdamit / eine Parthey Geldes an die Klöster / Kirchen / oder die Armen / darunter auch die Bettel-Münche gehören / zu bezahlen. Welche gute Leute sich deswegen Minimos Fratrum generant ex Matth. XXV. damit ihr Sack desto besser gespickt würde. Welche Drentung denn der Christenheit über hundert Tausend starke Gesellen zuverpflegen aufgelegt. Man kan auch die erste Art Pœnitenz / wenn Sie für einen zu beschwerlich fallen wolte / mit Geld abkauffen.

*Taxam  
Cancellaria  
& sacra  
pœnitentia-  
ria Aposto-  
lica abomi-  
nantur  
quidam  
Scriptores  
Papistici.*

*Confessio  
nihilominus  
in Papatu  
quæstuosa  
manet.*

s. III.



*Summa  
hujus Arti-  
culi.*

*Retineri  
apud nos  
verâ con-  
fessionem,  
ostenditur  
ex libris  
nostrisSym-  
bolicis,  
Scriptis  
Theologo-  
rum, &  
praxi no-  
strarum  
Ecclesia-  
rum.*

§. III. Non itaque opus erit *abusum* Confessionis in excessu peccantem hic pluribus commemorare, ad ipsam potius rem opera convertenda erit. Et quoniam etiam *Articulus XI. August. Confess.* doctrinam orthodoxam de hac materia exhibuerit; hic tamen tractationem de eadem, prout praxin præcipue respicit, *Confessores* instituire voluerunt. Poterit verò hic *Articulus* commodè in duas partes dividi, quarum prior *Apologiam* nostrarum Ecclesiarum, de retenta verâ *Confessione*; posterior verò *Elenchum & refutationem Confessionis auricularis* papificæ continet. Veram in Ecclesiis nostris *Confessionem* satis superque demonstrant *Scripta nostra Symbolica*, tum in præsentii articulo, tum in *Apologia art. XI. August. Confess.* atque *Articulis Smalcaldicis Sect. VIII.* Cum *absolutio & virtus clavium etiam sit consolatio & auxilium contra peccatum, & malam conscientiam, in Evangelio ab ipso Christo instituta, nequaquam in Ecclesia confessio & absolutio abolenda est, præsertim propter teneras & pavidas conscientias, & propter juventutem indomitam & perulantem, ut audiatur, examinetur & instituat in doctrina Christiana.* Tradunt eandem *Scripta* nostrarum Theologorum *dogmatica, polemica & præctica*, quibus sæpè magna Confessionis utilitas proponitur. In *libellis* quoque *precationum* præscribitur, quomodo homo ante, circa, & post Confessionem se gerere debeat. Nec omitunt *Casistæ* necessarios utilesque casus, quibus *Pastores* æquè ac *auditores* rectè informari possunt. Confirmat præterea *praxis* nostrarum Ecclesiarum, veram Confessionem apud nos retineri. *Preparantur enim communicantes, antequam ipsis porrigitur S. Coena. Informatur populus diligentissimè de fide absolutionis; utque absolutionem tanquam rem divino mandato factam æstimet, discatque, quantam consolationem exercitium potestatis clavium afferat pavidis conscientii, quod fides absolutioni credens verè consequatur remissionem peccatorum: Cum antea doctrina de fide suppressa,* ejus-



ejusque loco commendata fuerint satisfactiones &c. Quæ omnia *Dissert. XI. in Aug. Conf. p. 126. seq.* proposita sunt, neque hic attinet ea repetere, aut fusius prosequi. Id verò ad propositum refert, ut *Confessio auricularis papistica* aliquantò prolixius confutetur, ostendaturque, eam ab indole veræ Confessionis longè recedere.

§. IV. Elencho huic & confutationi necessariò præmittenda erit Pontificiorum de *Confessione auriculari* doctrina, quæ hæc est: *In Confessione enumerationem omnium peccatorum mortalium de jure divino esse necessariam.* Et si quis contra disputare ausus fuerit, in hunc anathema vibrat *Concil. Trident. sess. XIV. c. 5. Becanus part. 3. Op. Theol. Schol. cap. 37. q. 1. pag. 772.* ita suam suorumque mentem aperit. *Integritas Confessionis in his tribus consistit, primò ut penitens confiteatur omnia peccata mortalia à se commissa. Secundò, ut explicet numerum. Tertiò ut addat circumstantias, quæ mutant speciem.* Post hæc sequentes ponit conclusiones: *Conclus. I. Penitens debet confiteri omnia & singula mortalia, quæ post diligentem sui discussionem memoria occurrunt, ita Trid. sess. XIV. c. 5. Conclus. II. Penitens debet exprimere numerum peccatorum, etiam in eadem specie dicendo v. gr. se decies furatum, mentisum &c. esse. Quod si certus numerus non occurrat, debet exprimere verisimilem, dicendo se decies vel circiter furatum esse &c. Conclus. III. Penitens debet explicare omnes circumstantias mutantias speciem peccati. Notat verò insuper, duplices esse circumstantias: quædam, inquit, mutant speciem peccati, ut furari in loco sacro, fornicari cum conjugata, consanguinea, moniali, & hæc debent necessariò explicari. Aliæ non mutant speciem, sed tamen aggravant aut minuunt peccatum intra eandem speciem, ut sunt quantitas, conatus, intentio, malitia ignorantia &c. Et de his dubium esse ait, an sint explicandæ. Tandem tamen pronunciat: sibi probabilius videri, circumstantias aggravantes intra eandem speciem non esse necessariò explicandas in confessione. Hanc itaque Confessionem à Christo institutam,*

Pontificii  
omnium  
peccatorum  
enumerationem  
jure  
divino  
necessariam  
esse ajunt in  
Confessione.

Quas  
circumstantias  
enumerari  
jubet?

&



*Casus re-  
servati.*

& ita necessariam esse ajunt Pontificii, ut *qua peccata non enumerantur, etiam non remittantur.* Neque verò in his erroribus subsistunt, sed & hunciasuper addunt, quosdam casus reservatos dari, h. e. à quibus pœnitentes non possint absolvi, nisi per superiorem, cui reservati sint. Isti autem casus vel reservantur soli *Pontifici*, vel omnibus *Episcopis*. *Illi* reservati dicuntur casus, qui annexam habent excommunicationem. *His* reservati casus sunt. 1. *Peccata Clericorum*, quibus annexa est pœna irregularitatis. 2. *Peccatum incendiarii* domus, frugum &c. 3. *Blasphemia*. *Beccanus* de generali consuetudine Episcopis reservari ait homicidium voluntarium, falsarium in literis, violationem libertatis Ecclesiæ, sortilegium s. divinationem *vid. Theol. Schol. s. 40. q. 3. pag. 732.*

*Hypothesis  
de distinc-  
tione inter  
mortale &  
veniale pec-  
catum reji-  
citur.*

*Peccatum  
Veniale ex  
sententia  
Bellarmini  
triplex.*

§. V. In examine hujus doctrinæ occurrit *primò*, quod Adversarii tantum mortalia peccata enumeranda esse dicant, cum tamen dicta, quæ in rei confirmationem adducuntur, istam differentiam inter mortalia & venialia peccata ignorent, neque ista distinctio *mortalis & venialis peccati*, uti in Ecclesia Romana proponitur, ullum in antiqua Ecclesia testimonium habeat. *Est pœnitentia*, inquit Augustinus Epist. 108. fol. m. 140. *Bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pœtora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra. Illa utique humana fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt. Quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & obruent, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat? Quam longè ab hac Augustini sententia & à veritate abeant Adversarii, patet ex Bellarmini l. 1. de Amiff. Grat. c. 3. & 9. seqq. Ubi peccatum veniale describit, atque ita dividit, ut aliud sit *veniale in suo genere*, habens quidem pro objecto rem malam & inordinatam, quæ tamen non*

*ladas*



adat charitatem Dei & proximi, ut Verbum otiosum. Aliud veniale ex subreptione, ut motus subiti cupiditatis. Et denique veniale ex parvitate materiae, ut furtum unius oboli, quo proximus non læditur notabiliter. Unde vel ex eo solo hæc opinio refutatur, quod maledictus sit, qui non manserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis Gal. III, 10. Committens autem istiusmodi veniale, non manet in omnibus. Et quod Stipendium peccati (etiam venialis, nulla enim est exceptio) mors sit. Rom. VI, ult. Reddet certè homo in die iudicii etiam de quovis verbo otioso rationem Matth. XII, 3, 6. & tamen verbum otiosum hic inter venialia peccata computatur. Et subiti quoque motus contra legem Dei sunt, indeq; peccata, uti ex Rom. VII, constat. Quod verò ex evidentia læsionis proximi à Bellarmino peccati gravitas vel parvitas æstimetur, prorsus ineptum est. Ex *avopua* enim & læsione Dei S. Scriptura illud æstimat. 1. Joh. III, 4. 1. Sam. XV, 19. 23. Et si damnum proximo illatum peccatum mortale, læsio autem non admodum notabilis veniale faceret, idem peccatum in hunc hominem commissum foret mortale; ut si quis viduæ Luc. XXI, cujus substantia duobus obolis constabat, unum abstulisset; & rursus non mortale, commissum in alium, quem non læderet. Sed hæc materia aliò pertinet, per occasionem tamen hic aliquid de ea debuit inseri, atque falsa ista de distinctione peccati mortalis & venialis hypothesis submoveri. vid. Scherzer. *Anti-Bellarms.* Disp. XV. th. 1.

§. VI. Postquam igitur ex Scriptis Papistarum ostensum, qualia peccata in Confessione recitari debeant, nunc ipsa quaestio, an Confiteentes omnia peccata, quæ post diligens examen memoria succurrunt, vi divini instituti Ministro secundum omnes circumstantias aperire teneantur, examinanda venit? Negant Protestantes, atque sequentia Adversariis hoc art. opponunt argumenta. I. Quia talis Confessio onerat Conscientias, cum tamen à terrore eas liberare debeat. Quod si nulla peccata, dicitur h. art. nisi recitata remitterentur, nunquam

H

Refutatur  
ista opinio.

Non esse  
exigendam  
singulorum  
Peccatorum  
enumerationem,  
ostenditur  
argumentis.

acqui-



*Quamvis  
possibilis ef-  
set omnium  
peccatorum  
enumeratio,  
non tamen  
est ne-  
cessaria.*

acquiescere Conscientia possent. Afflictae enim mentes semper dubitabant, annon accuratius examen instituere, & plura peccata deprehendere potuerint. Si semel admissum fuerit inquit Chemnit. part. 2. Exam. Conc. Trid. remissionem pendere ex enumeratione, Conscientia semper dubia erit de oculis, & haerabit, an justam discussionis diligentiam adhibuerit, quae est exactissima Conscientiarum Carnificina. 2. Quia talis confessio est impossibilis, quis enim posset omnia delicta recitare? quod faciunt allegata h. art. Scripturae dicta. Delicta quis intelligit Psal. XIX, 13. Pravum est cor hominis, & inscrutabile. Jerem. XVI, 9. Fac autem, possibilem esse talem Confessionem, non tamen est necessaria de Jure Divino, ita ut absolutio fieri non possit, nisi praecesserit Confessio. Si enim Jure Divino necessaria esset talis peccatorum confessio, sequeretur etiam, omnia peccata Venialia, aliaque, sive memoriae sese offerant, sive non, esse enumeranda. Patet hoc, si Adversariorum rationes in hac re expendantur. Absolutionem, inquit, judicium esse. Judicium autem rei incognita non esse, rem autem non confessam esse incognitam, addunt deinde: Necessum esse, ut singulorum peccatorum, quae homines ira filios, & Dei inimicos faciunt, venia per apertam & verecundam Confessionem quaratur, quod fieri nequit, nisi singula enumerentur. Quae rationes non limitant absolutionem ad ignorantiam & memoriae debilitatem, sed simpliciter & ex natura rei commensurantur cum numero peccatorum Deum offendentium & Sacerdoti revelatorum. Stante autem hac revelationis necessitate, publicanus & latro Luc. XVIII, 13. cap. XXIII, 42. aliique qui sua peccata non enumerarunt, remissionem non obtinuissent, quod tamen falsum. 3. Quia istiusmodi Confessionem non exigunt decreta, neque antiqui Patres, in quam rem in decretis de poenitentia dist. 2. citatur Chrysostomus comment. Epist. ad Hebr. Similes sententias habet in Enarrat. Psal. L, homil. 20. Et Augustinus Exposit. Psalm LXXVI. lit. J. 4. Confiteantur

Tibi



Tibi populi Deus, confiteantur Tibi populi omnes. Et quia ista Confessio non ad supplium ducit: sequitur & dicit: *Letentur & exultent Gentes. Si plangunt ante hominem Confessi latrones, letentur ante Deum confessi fideles. Si homo iudicet, exigit à latrone Confessionem tortor & timor, imò aliquando Confessionem premit timor, exigit dolor: Et ille, qui plangit in tormentis, timet autem occidi, portat tormenta quantum potest, & si victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem suam. Nusquam ergò letus, nusquam exultans, antequam confiteatur, exarat unguis, cum confessus fuerit, damnat carnifex, ducitur miser ubique. Sed letentur & exultent gentes. Quare? quia bonus est, cui confitentur. Ad hoc exigit Confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non Confitentem, ut puniat superbum. Ergo tristis esto, antequam confitearis, confessus exulta, jam sanaberis &c. Idem lib. X. Confessionum c. 3. ita scribit: *Quid mihi ergò est cum hominibus, ut audiatis confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos? Curiosum genus ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam. Quid à me querunt audire, qui sim, qui nolunt à Te audire, qui sint? Et unde sciunt, cum à me ipso de me ipso audiunt, an Verum dicam, quandoquidem nemo scit hominum, quid agatur in homine, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est? Ex quibus omnibus liquet, hos Patres non asseruisse talem Confessionem, quæ in enumeratione singulorum peccatorum consistat. vid. Gerhard. Confess. Cathol. lib. 2. spec. part. 3. art. 16. c. 4. ubi ex ipsis Scriptoribus Pontificiis testimonia contra Confessionem auricularem in Papatu usitatam adducit.**

§. VII. Cùm verò Adversarii præcipuum causæ suæ præsidium collocent in eo, quod Christus Ecclesiæ Ministris dederit potestatem judicariam *Matth. XVI. Tibi dabo claves. c. XIX. Quaecumq; ligaveris super Terram Joh. XX. Quorum remiseritis peccata.* Ista verò potestas absque prævia cognitione exerceri non possit; neq; cognitio detur absque enumeratione, operæ præciū erit, illius considerationi adhuc

H 2

pau.

Christo-  
mi & Au-  
gustini te-  
stimonia.

An potestas  
Ministris  
Matth. XVI.  
& Joh. XX.  
data sit ju-  
diciaria?





paulisper immorari. Et certū quidem est, ad exercendam potestatem judicariam propriè sic dictam requiri exactam delicti cognitionem, ut iudex cognita causa vel absolvere innocentem, vel condemnare reum, pœnamque delicto exæquare possit. Quanquam nec in foro humano ad ferendam de fure sententiam necessum sit, ut fur singula furta enumeret, cum sufficiat Confessio furis: *Se diu ex raptro vixisse.* Unde si vel maximè concedatur: *Sacerdotes esse iudices.* Non tamen necessaria erit specialis omnium peccatorum confessio, sed satis erit pœnitentem confiteri: *Se reum esse multorum peccatorum.* Sicut Daniel c. IX, 20. populi peccata sine eorum speciali enumeratione confitebatur. Datam verò esse Ministris Ecclesiæ propriè dictam potestatem judicariam, falsum est. In eo enim sita est potestas ministris concessa; *Primò* ut absolvant à peccatis omnes pœnitentiam agentes, & in Christum credentes. Ad quam absolutionem non est necessaria tam accurata cognitio, qualem requirunt Pontificii. *Deinde* potestas Ministrorum Ecclesiæ occupatur quoque circa *retentionem peccatorum* in hominibus impœnitentibus, & viventibus in peccatis enormibus cum scandalo Ecclesiæ conjunctis. Sed & in hoc casu Ecclesiæ Minister datam sibi potestatem exercere potest absque privata & speciali Confessione. Possunt enim istiusmodi peccatores Ministro alio modo innotescere, ut is inde commotus eos moneat, & si in impœnitentia sua perseverent, clave ligante adversus eos utatur, atque pro re nata ex Ecclesiæ communione ejiciat. Ita *Paulus* Corinthios reprehendit ob quendam *incestuosum*, qui *novercam suam duxerat* 1. Cor. V, 1. seq. quod facinus scire potuit Minister absque privata Confessione, indeque isti peccatori tamdiu retinere peccata, donec pœnitentiam egerit. Unde in nostris Ecclesiis Ministri certis diebus in genere annunciant peccatoribus verè pœnitentibus, Deoque confidentibus, peccatorum remissionem, licet distinctè non sciant, quinam in tota multitudine sint verè pœnitentes. *Iidem* quo.

*Ad absolutionem non opus est speciali peccatorum cognitione.*

*Neque retentione peccatorum requirit specialem Confessionem & cognitionem.*



quoq; retinent peccata impœnitentibus, quanquam nesciant, quinam in Ecclesia tales sint. Potest igitur exerceri potestas clavium absque privata & speciali Confessione atque peccatorum cognitione. Interim si quis Conscientiæ suæ melius consuli posse putet per specialem peccatorum quorundam enumerationem, potestas clavium quoque specialiori modo exerceri potest. Et facit istiusmodi Confessio ad plenioram exonerationem & informationem conscientiæ, indeque tales confitentes laudandos esse ait *Hülsemann. Man. A. C. p. 380.* Esse verò peccatorum omnium coram Sacerdote enumerationem Jure Divino necessariam, ita ut sine ea absolutio fieri non possit, hoc negatur, neque allegari potest ullum Scripturæ S. dictum, quo id probetur. Sicut nec pro potestate Sacerdotum judiciaria hæcenus idonea ratio allata fuit. Allegata enim dicta continent tantò *potestatem remittendi & retinendi, uti Dissert. XI. in Aug. Conf. §. 11. 12. tradidi.* Nullibi verò legimus, Christum præcepisse specialem omnium peccatorum Confessionem coram Ministro. Neque iudicium Sacerdotis latius extendendum, quàm ut cognoscat statum pœnitentis, verè de peccatis doleat, novæ vitæ propositum habeat, & in Christum firmiter credat, ut relictum iudicium de eo absolvendo vel ligando feratur. vid. *Dannbauer. Hod. Pap. phant. XI. 778. seq. 794. seq.*

§. VIII. Ea quæ hæcenus de non necessaria peccatorum Confessione speciali dicta sunt, intelligi debent de Confessione ordinaria circa peccata, quæ vel non sunt enormia, & cum publico scandalo conjuncta; vel si enormia sint, occulta tamen manent, & Ecclesiam non offendunt. Quod si verò talia ministro Ecclesiæ, vel toti communitati innotescant, atque peccator de iisdem sit admonitus, & interrogatus, non amplius videtur indifferens, an confitens illa negare vel palliare velit; sed eo in casu necessarium est, ut speciatim ista coram ministro confiteatur. Minister enim est loco Dei, eique concessa est potestas ligandi & sol-

*Facit tamen nonnō quā specialis quorundā peccatorum Confessio ad tranquillandam conscientiā.*

*Ministri iudicium de Confitentibus quousque extendendū?*

*Quo in casu confitens teneatur credere specialem Confessionem?*



*Interrogat  
de peccato  
notario, id-  
que negans,  
non impe-  
trat ejus  
remissio-  
nem.*

solvendi. Hinc qui ministro negat peccatum, non ipsi solum, sed & DEO negat. Hunc ergo peccatorem merito terrere & ad Confessionem adigere debet sententia Salvatoris Joh. XX, 23. *Quorum retinueritis peccata, retenta etiam sunt in caelis.* Ex qua hoc m. colligere licet. Qui negat peccatum coram Ecclesiae ministro, cui id notum est, & propterea ab eo retinetur; is à Deo remissionem obtinere non potest; dicitur enim: *Qua ligaveritis super terram ligata sunt in caelis &c.* Dixi autem, de enormi peccato, de quo constat Ecclesiae Ministro; hoc intelligendum esse; nec absolvendum ab eo statim peccatorem; qui interrogatus & admonitus illud pertinaciter negaverit. Diligentius ergo talis peccator examinandus & ad agnitionem peccati adducendus est. Quod si verò nec exhortationibus nec comminationibus ad Confessionem adigi possit peccator, nec planè manifestum & cum scandalo Ecclesiae conjunctum sit illud peccatum; Minister eum absolvere potest, committendo interea DEO rem, quem peccator fallere nequit.

Quomo-  
do Mini-  
ster cum  
eo, qui se-  
proximo  
damnum  
intulisse  
fatetur,  
agere de-  
beat?

§. IX. Surgit ex his quaestio, quid eo in casu agendum, si peccator fateatur, se proximo damnum intulisse, sive per furtum, sive per maledicentiam &c. Respondet Theoph. **Großgebaur** in der Wächter-Stimme c. X. *Obt nimmt keine Versöhnung an/vergibt auch die Sünde nicht/ es seye denn / daß wir uns zuvor mit dem Nächsten ausöhnen / und so wir Ihm mit Worten oder Wercken Unrecht und Schaden gethan / daß wirs Ihm wieder erstatten / wo es anders möglich ist. Drum wird der Mensch erstlich zu seinem Mit-Bruder verwiesen / daß Er nach seinem Vermögen Krafft der andern Tafel des Gesetzes / wieder gut mache und ersetze/ was Er etwa dem Nächsten verborben hat. Daher geht der Spruch Augustini im Schwang/ Peccatum non remittitur nisi reddatur ablatum. Cujus res aliena, quæ reddi potest, non redditur, non agitur sed fingitur poenitentia. Similia tradit*



tradit D. Kesler in Theol. Caf. pag. 388. Wenn Jemand seinem Nächsten etwas heimlich entwendet hat / verstehet es sich leichtlich / daß Er nicht Ruhe im Gewissen haben könne / Er gebe denn das Entwendete dem wieder / dem es gehört / nach der Regul: Peccatum non remittitur &c. Da nun der Diebstal heimlich / rathen die Theologi, es soll auch der Dieb durch füglich Mittel das Gestohlene heimlich restituiren. Lubet ex eodem Autore ob materiae connexionem sequentia quoque inserere. Da ein Mensch durch sein geängstetes Gewissen getrieben wird / seine That der Obrigkeit zu offenbaren / und der Trost nicht haften will / nachdem Er dieselbe einem Prediger in der Beicht bekennet hat / so thut Er recht / daß Er sich zur Straffe freywillig angibt / denn es ist besser mit gutem Gewissen Straffe leiden / denn die schwere Straffe des geängsteten Gewissens dulden. So spüret Er auch / daß Gott nicht lassen wolle / sondern sein Wille seye / daß die Missethat an Tag komme / und gestrafft werde. Doch mag ein solcher Mensch / dessen Missethat heimlich ist / Trost bey dem Beichts Dacter holen / und fürter von Sünden abstehen / und seine Missethat mit Christlichem Leben einbringen / nach der Lehre S. Pauli / Wer gestohlen hat / der stehle nicht mehr Ephel. IV. v. 28. Und in dem Fall darff ein Prediger wegen der Absolution kein Bedencken tragen / sondern hält sich nach dem Exempel Christi / welcher sich nicht bekümmert / ob das Samaritische Weib wegen ihrer Hurerey von der weltlichen Obrigkeit gestrafft worden Joh. IV. und zu der Ehebrecherin sprach: Hat dich Niemand verdammet / so verdamme Ich dich auch nicht; Gehe hin / und sündige fort nicht mehr Joh. VIII. 11. Da aber eine heimliche That ruckbar wird / und nach eingenommener Kundschaft die Obrigkeit den Thäter fraget / soll Er GOTT die Ehre geben / an dessen Statt die Obrigkeit das Gericht hält / und seine Ubelthat bekennen / und lässet sich nicht verantworten mit leugnen / oder zweiffeltastigen

Kesler  
Theol. Caf.  
p. 389.

Minister  
Confitentē  
à peccatis  
oculis,  
etiam enormibus  
absolvere  
potest.



tigen ungewissen Neben / oder mit æquivociren / damit man den Kopf aus der Schlingen ziehe / wie zwar die Lehrer im Vabsthum auch in dem Fall sehr weit gehen. Sed hæc pro oblata occasione, cum alias ad *Theol. Confess.* pertineant.

*Ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam quidam Casus reservari possunt.*

*Reservatio casuum in Ecclesia Romana in servit explenda Sacerdotum avaritia.*

§. X. Quid verò dicendum de Casibus reservatis, quorum facta est mentio §. 4. Resp. omne peccatum poenitentiam agenti & Christum credenti remitti à DEO propter Christum, atque cuivis Ecclesiæ Ministro in demandata potestate clavium datam quoque esse facultatem remittendi quod vit peccatum, neque de Jure Divino ullum dari casum reservatum. Interim Jure Ecclesiastico quosdam Casus reservari, præsertim in peccatis enormibus & cum scandalo Ecclesiæ conjunctis, requirit disciplina Ecclesiastica. Pro ea itaque conservanda utile est, peccatores etiam seriò dolentes & agentes poenitentiam non statim absolvere, sed rem deferre ad Episcopum aut Consistorium, ut istiusmodi peccatores publicè quoque dolorem suum testentur & offensam deprecantur. Unde si de tali reservatione Pontificii suam assertionem intelligerent, nemo illis contradiceret. Cum verò certum sit, illos etiam in occultis peccatis absolutionem nonnunquam denegare, & Confitentes ad Episcopos vel ipsum Pontificem remittere, atque h. m. non tam Conservationem disciplinæ Ecclesiasticæ, quàm turpe lucrum quærere, & stabilire hoc dogma, quasi plenitudo potestatis remittendi peccata resideat in Papa, atque ex ejus arbitrio deriveretur in inferiores Ministros, ista Casuum reservatio tanquam tyrannica, atque Scripturæ & antiquitati ignota merito improbatur. vid. *Zigler. ad Lancellor. Institut. Jur. Can. l. 2. tit. 5. §. 10. p. 358.* Testimonia Scripturum Pontificiorum pro causa nostra vide in *Histor. Concil. Trident. Pet. Suavis l. 4. pag. 315. 316.*

*Edit. Gorinch.*



DISSERTATIO QUINTA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFSSIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS

Continens

Articulum V.

DE

DISCRIMINE  
CIBORUM,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNE KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primario,

&amp; Mathemat. Ordinario.

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni subjiçit*

DIETERICUS STÜMBCKE,

Sachsenhagâ-Schaumb.

IN AUDITORIO MAJORI

Ad d. 21 Maji An. 1711.

ART. V.

DE DISCRIMINE CIBORUM.

**P**ublica persuasio fuit non tantum vulgi, sed  
etiã docentiu in Ecclesijs, quod discrimina  
ciborum, & similes traditiones humane,  
sint opera utilia ad promerendã gratiã, &  
satisfactoria pro peccatis. Et quod sic senserit mundus,

I

ap-



apparet ex eo, quia quotidie instituebantur nova ceremonia, novi ordines, nova feria, nova jejunia, & Doctores in templis exigebant hæc opera tanquam necessarium cultum ad promerendam gratiam, & vehementer terrebant conscientias, si quid omitterent. Ex hac persuasione de traditionibus multa incommoda in Ecclesia secuta sunt.

Primò obscurata est doctrina de gratia & justitia fidei, quæ est præcipua pars Evangelii, & quam maximè oportet extare & eminere in Ecclesia, ut meritum Christi bene cognoscatur, & fides quæ credit remitti peccata propter Christum, non propter ulla nostra opera, longè supra opera collocetur. Quare & Paulus in hunc locum maximè incumbit, legem & traditiones humanas removet, ut ostendat justitiam Christianã aliud quiddam esse, quam hujusmodi opera, videlicet fidem, quæ credit peccata gratis remitti propter Christum. At hæc doctrina Pauli penè tota oppressa est per traditiones, quæ pepererunt opinionem, quod per discrimina ciborum, & similes cultus, oporteat mereri remissionem peccatorum & justificationem. In pœnitentia nulla mentio fiebat de fide, tantùm hæc opera satisfactoria proponebantur, in his videbatur pœnitentia tota consistere.

Secundò, hæc traditiones obscuraverunt præcepta Dei, quia traditiones longè præferebantur præceptis Dei, Christianismus totò putabatur esse observatio certarum feriarum, rituum, jejuniorum, vestitus. Hæc observationes erant in possessione honestissimi tituli, quod essent vita spiritalis, & vita perfecta. Interim man-  
data



data Dei juxta vocationem, nullam laudem habebant, quod pater familias educabat sobolem, quod mater pariebat, quod princeps regebat rempublicam, hæc putabantur esse opera mundana & imperfecta, & longè deteriora illis splendidis observationibus. Et hic error valde cruciavit pias conscientias, quæ dolebant, se teneri imperfecto vitæ genere, in conjugio, in magistratibus, aut aliis functionibus civilibus, mirabantur Monachos & similes, & falsò putabãt, illorũ observationes magis mereri remissionem peccatorũ & justificationẽ.

Tertiò, traditiones attulerunt magna pericula conscientiis, quia impossibile erat omnes traditiones servare, & tamen homines arbitrabantur has observationes, necessarios esse cultus. Gerson scribit, multos incidisse in desperationem, quosdam etiam sibi mortem conscivisse, quia senserant, se non posse satisfacere traditionibus, & interim consolationem nullam de justitia fidei & de gratia audierant.

Videmus Summistas & Theologos colligere traditiones, & querere anxietas, ut levent conscientias, non satis tamen expediunt, sed interdum magis injiciunt laqueos conscientiis. Et in colligendis traditionibus ita fuerunt occupata Scholæ, & conciones, ut non vacaverit attingere scripturam, & querere utiliorem doctrinam de fide, de cruce, de spe, de dignitate civilium rerum, de consolatione conscientiarum in arduis tentationibus. Itaque Gerson & alii quidam Theologi graviter questifunt, se his rixis traditionum impediri, quò minus versari possent in meliore genere doctrine. Et Augustinus vetat onerare conscientias hujusmodi



observationibus, & prudenter admonet Januarium, ut sciat eas indifferentes observandas esse, sic enim loquitur.

Quare nostri non debent videri hanc causam temere attigisse, aut odio Episcoporum, ut quidam falsò suspicantur. Magna necessitas fuit de illis erroribus, qui nati erant ex traditionibus malè intellectis admonere Ecclesias. Nam Evangelium cogit urgere doctrinam in Ecclesiis de gratia & iustitia fidei, que tamen intelligi non potest, si putent homines, se mereri remissionem peccatorum, & justificationem per observationes ab ipsis electas.

Sic igitur docuerunt, quod per observationem traditionum humanarum non possimus mereri remissionem peccatorum ac justificationem, quare non est sentiendū, quod huiusmodi observationes sint necessarius cultus.

Addunt testimonia ex scriptura, Christus Matth. 15. excusat Apostolos, qui non servaverant usitatam traditionem, que tamen videbatur de re non illicita, sed media esse, & habere cognationem cum batismatibus legis, & dicit, Frustra colunt me mandatis hominum. Igitur non exigit cultum inutilem.

Et paulò post addit, Omne quod intrat in os, non inquinat hominem.

Item Rom. 14. Regnum Dei non est esca aut potus.

Col. 2. Nemo iudicet vos in cibo, potu, sabbato aut die festo.

Item, Si mortui estis cum Christo, ab elementis mundi. Quare tanquam viventes in mundo decreta facitis? Ne attingas. Ne gustes. Ne contrectes.

Act.



Act. 15. ait Petrus. Quare tentatis Deum, imponentes jugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. Hic vetat Petrus onerare conscientias pluribus ritibus sive Mosis sive aliis.

Et 1. Tim. 4. vocat prohibitionem ciborum, doctrinam demoniorum, quia pugnat cum Evangelio, talia opera instituire aut facere, ut per ea mereamur remissionem peccatorum & justificationem, aut quod non possit existere Christianismus sine tali cultu.

Hic obijciunt adversarii, quod nostri prohibeant disciplinam & mortificationem carnis, sicut Jovinianus. Verum aliud deprehendetur ex scriptis nostrorum. Semper enim docuerunt de cruce, quod Christianos oporteat tolerare afflictiones. Hec est vera, seria & non simulata mortificatio, variis afflictionibus exerceri, & crucifigi cum Christo.

Insuper docent, quod quilibet Christianus debeat se corporali disciplina, aut corporalibus exercitiis & laboribus sic exercere & coercere, ne saturitas aut desidia extimulet ad peccandum, non ut per illa exercitia mereamur remissionem culpe aut mortis aeternae. Et hanc corporalem disciplinam oportet semper urgere, non solum paucis & constitutis diebus, sicut Christus praecipit: Cavete ne corpora vestra graventur crapula. Item, Hoc genus demoniorum non ejicitur nisi jejuniis & oratione. Et Paulus ait, Castigo corpus meum, & redigo in servitutem. Ubi clare ostendit, se idem castigare corpus, non ut per eam disciplinam mereatur remissionem

nem



*nem peccatorum, sed ut corpus habeat obnoxium & idoneum ad res spirituales & ad faciendum officium, juxta vocationem suam. Itaque non damnantur ipsa jejunia, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt, cum periculo conscientia, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.*

*Servantur tamen apud nos pleræque traditiones, quæ conducunt ad hoc, ut res ordine geratur in Ecclesia, ut ordo lectionum in Missa & præcipue feriæ. Sed interim homines admonentur, quod talis cultus non justificet cor à Deo, & quod non sit ponendum peccatum in talibus rebus, si omittantur sine scandalo. Hæc libertas in ritibus humanis non fuit ignota patribus, Nam in Oriente alio tempore servaverunt Pascha quàm Romæ, & cum Romani propter hanc dissimilitudinem accusarent Orientem schismatis, admoniti sunt ab aliis, tales mores non oportere ubique similes esse. Et Irenæus inquit, dissonantia jejunii, fidei consonantiam non solvit, sicut & Dist. 12. Gregorius Papa significat, talem dissimilitudinem non ledere unitatem Ecclesiæ. Et in historia Tripartita lib. 9. multa colliguntur exempla dissimilium rituum, & recitantur hæc verba, Mens Apostolorum fuit, non de diebus festis sancire, sed prædicare bonam conversationem & pietatem.*

*§. I.*



*Busibus circa res sacras succedunt isti, qui sunt circa res mere papisticas. Et primo quidem loco universalis abusus de Discrimine Ciborum notatur, qui cujusvis status & conditionis homines in Papatu obligat, Non solum autem hoc Arti-*



Articulo de Discrimine Ciborum, sed & de aliis Traditionibus humanis agitur: An in se & per se cultus divinus sint? Et an sint opera utilia ad gratiam promerendam & satisfactoria pro peccatis? Et quanquam Artic. XV. iam tum de Traditionibus humanis actum sit; hic tamen ex parte morum de iis instituitur tractatio, ferente ita occasione & materia de Ciborum Discrimine. Ex hac enim Disputatione orta est primùm controversia inter Evangelicos & Pontificios de Traditionibus humanis & Ritibus Ecclesiasticis, quid nempe valeant ad promerendum & satisfaciendum pro peccatis?

§. II. Sicut autem de præcedentibus Abusum Articulis dictum, eos ad rationem status Ecclesiastici efformatos esse, ita de hoc quoque pronunciandum est. Unde & à Statibus Rom. Imperii An. 1523, in Comitibus Norimbergensibus gravis hæc querela instituta fuit. Inter reliqua onera, inquit, vel illud minimè postremo loco est collocandum, quod constitutionibus humanis multa prohibentur, imperantur item multa, quæ nullo divino præcepto vel interdicta sunt vel imperata, quod genus sunt matrimoniorum tam innumera obstacula excogitata &c. Ciborum item usus interdictus, quos Deus tamen ad hominis necessitatem creavit, ac cum gratiarum actione promiscuè sumendos Apostolus docuit. Ha nimirum atque his similes complures humana constitutiones eò usque ligant homines, donec pecunia sibi harum legum gratiam à Statuentibus impetrent, ut ita pecunia faciat Divitiis licitum, quod tenuibus gratis sit prohibitum, vid. Pufendorf. Introd. Histor. c. XII. de Papa §. 33. Docet dehinc experientia, quàm severè in eos animadverti soleat, qui contra istam legem in Ecclesia Rom. peccant, atque diebus prohibitis carne vescuntur. Peccatum enim contra legem divinam commissum eo rigore non vindicatur, quo hujus legis Pontificiæ transgressio, ut ita & hic Articulus auctoritatem Sacerdotum stabiliat, adaugeatque eorum opes.

§. III. Cæterum hæc & alia incommoda memorat Augustana Confessio, eaque his capitibus complectitur: 1. Discrimen

Summa  
hujus Articuli.

Refertur  
querela  
Statuum  
Imperii de  
interdicto  
Ciborum  
quorundam  
usu.

Articulus  
hic Reipublice  
Ecclesiastica  
Rom. adaptatus  
est.



*Recensentur speciatim incommoda emergentia ex doctrina Romanensium.*

*Refertur sententia Romanensium de Discrimine Ciborum aliisq; traditionibus.*

*serimen Ciborum aliasque traditiones obscurasse doctrinam de gratia & iustitia fidei, qua est precipua pars Evangelii, & quam maxime oportet extare & eminere in Ecclesia, ut meritum Christi bene cognoscatur &c. 2. Obscurata quoque ita esse precepta Dei, quia traditiones longè præferebantur divinis legibus. 3. Ad ductas esse conscientias in magna pericula, quia omnes traditiones servare non poterant, & tamen arbitrabantur, has observationes esse cultus necessarios. Ex quibus concludunt Confessores, se necessitate quadam adactos esse, ut admonerent Ecclesias de erroribus istis, qui nati erant ex traditionibus malè intellectis; tandemque doctrinam suam summatim proponunt in hanc formam: Homines per observationem traditionum humanarum non posse mereri gratiam aut justificari. Tales ergò observationes non esse cultum necessarium. Atque hanc Confessorum doctrinam tanquam falsam explodunt Auctores Confutationis: Es ist ganz und gar falsch/das Sie sagen/es sey die Gerechtigkeit des Glaubens mit solchen Sagenen verdunkelt. Sie sind Paulo zuwider/und zureissen S. Paulum/welchen da Er von den Werken des Gesetzes redet / Sie auf die Evangelische Werke ziehen. Pergunt deinde: Es ist auch falsch / daß die Sagenen die Gebote Gottes verdunkeln / da Sie doch die göttliche Gebote zu halten/einem Menschen möglich sind / wie durch die Fasten des Fleisches Luste gedämpffet und getödtet werden. Adjiciunt denique. Es ist auch Unwahrheit / daß es unmöglich seye / die Sagenen zu halten / denn die Mutter die Kirche ist so unbarmherzig nicht / daß Sie nicht im Fall der Noth mit Feiertage zu halten / im Fasten / und dergleichen etwas dispensiren sollte. Adem Auctores Confutationis suas traditiones hoc ferè modo probare annuntant: (1.) Alle Obrigkeit ist von Gott und sonderlich die Geistliche Obrigkeit gegeben zur Erbauung / drum sollen von einem gehorsamen Herzen die Sagenen angenommen werden. Luc. X, 16. 1. Theß. IV, 8. Act. XX, 28. (2.) So die Prelaten Macht haben zu regieren / so müssen Sie auch Macht haben, Statuten zu machen zu*



zu heilsamer Regierung der Kirchen und der Unterthanen Besten etc. vid. Chrystrai Histor. Ang. Confess. fol. 151. 152.

§. IV. Ut itaque tota hæc res clarior evadat, atque rectè decidatur, necessum erit, Statum Controversiæ ante omnia distinctè formare. Non autem quæritur, an liceat aut oporteat interdum abstinere à quodam cibi genere, si Magistratus ita præcipiat. Notum enim est, *vesci hoc vel illo cibo*, esse rem indifferentem, & talem, circa quam ordinatio humana aliquid præcipere vel prohibere potest, quod viventes in tali Republica obligat. Ita in Anglia retentum est jejuniium Die Veneris & Saturni more Pontificiorum, quia Magistratus hoc modo Anglos ad piscaturam, quam segnius exercent, excitare voluit, ne piscium usus planè negligeretur. Hujusmodi leges in qualibet Republica, & consequenter in Ecclesiastica ferri possunt, si faciant ad ordinem, neque lædant leges divinas, doctrinam Evangelii & Conscientias. Unde leges de Jejniis & aliis exercitiis ad Carnis mortificationem faciendis licitæ utique sunt, atque olim quoque in usu fuerunt, neque istiusmodi corporalem disciplinam Ecclesiæ nostræ improbant, uti Adversarii illis per injuriam affingunt, sed uno ore docent, eum rectè agere, qui externæ pædagogicæ ac disciplinæ causa à lautioribus cibis nonnunquam abstinet, ut compescatur caro, atque contritio & oratio sit ardentior. Alia quoque causa esse potest, quæ ad tales leges circa objectum indifferens ferendas Ecclesiam interdum permovet. Tales ergò leges ferri posse, & obligare, extra Controversiam est. Id verò præcipuè quaritur, an in observatione harum legum v. gr. in discrimine ciborum &c. *Sit peculiaris cultus & meritum?* hoc modo formatam quæstionem negat Augustana Confessio; Affirmativam autem Papistarum tum temporis fuisse, probatur (1.) quia publica fuit persuasio, quod *discrimen ciborum & similes traditiones humanæ sint opera*

K

*Leges humana circa objectum indifferens prohibendæ vel præcipiendum versari possunt.*

*Cur in Anglia die Veneris & Saturni retentum jejunium?*

*Abstinentiam disciplinæ causa institutam approbant nostra Ecclesiæ.*

*IN CIBORUM discrimine aliisq; traditionibus nõ est cultus aut meritum.*



*Offenditur,  
Papistas  
urgere tra-  
ditiones  
tanquam  
cultum ne-  
cessarium.*

*Impugna-  
tur hac Pa-  
pistarum  
sententia.*

*Prohibitio-  
nem Ciborū  
Paulus do-  
ctrinam  
Dæmonio-  
rum appel-  
lat.*

*Retunditur  
exceptio  
Pontificiorū*

*nilia ad promerendam gratiam, & satisfactoria pro peccatis (2.) quia multiplicabantur istiusmodi traditiones per institutionem novorum ordinum, novarum feriarum, novorumque jejuniorum. (3.) Quia Doctores hac opera exegerunt tanquam cultum necessarium, & vehementer terruerunt Conscientias, si quid omitterent. Quæ argumenta sententiam Papistarum tam clarè proposuere, ut in sua Confutatione non ausi sint negare, hunc esse Statum Controversiæ, neque etiam potuerint has à Confessoribus allatas rationes refutare.*

§. V. Atque hæ traditiones cum opinione cultus conjunctæ pugnant cum verbo Dei uti §. 3. indicatum, imprimis verò cum dicto Rom. III, 24. *ubi gratis justificari dicimur per gratiam, & redemptionem factam in Jesu Christo, & v. 28. Arbitramur fide justificari hominem absque Operibus legis. add: Galat. V. vers. 4. Inanes facti estis, separati a Christo, quicumque per legem justificamini: & à gratia excidistis.* Quòd etiam pertinet locus in A. C. allegatus ex Matth. XXV, 9. *Frustra me colunt, docentes doctrinas, quæ sunt mandata hominum.* Excusabat nempe Christus Discipulos, quod non observaverint usitatam traditionem, quæ erat de re non illicita, sed indifferenti. Cum verò Scribæ & Pharisei eam tanquam necessariam & sub opinione cultus urgerent, Christus istum cultum inanem dixit, & hominum doctrinas. Alia in A. C. producta Scripturæ dicta non opus est hìc repetere. Id tamen quod ultimo loco ex 1. Tim. IV, 1. 3. citatur, imprimis tenendum est. Accensetur enim *ibidem doctrinis Dæmoniorum prohibitio ciborum* facta sub pretextu singularis cujusdam Sanctitatis, & sub specie cultus promulgata. Et quamvis Pontificii h. l. excepiant, peti hoc dicto *Marcionitas, Manichæos, Encratitas* aliosque, qui cibos quosdam per se immundos dixerint; Ex eo tamen revinci possunt, quod Verba Apostoli generalia sunt, & doctrina Dæmoniorum dicitur, si imperatur, ut abstineatur à Cibis. Neque consequens est; Dicti hæretici ex eo redarguuntur, quia carnes per se malas



malas dixerunt. Ergo Pontificii non sunt redarguendi ex alia quadam causa. Perinde ac si dicas, Scriptura damnat, qui solvunt Jesum eo modo, quo *Arius*. Ergo non damnatur *Nestorius*, qui alio modo & ex alia ratione Christum solvebat. Dum ergo Apostolus rationem petit ex ciborum bonitate, concluditur rectè, nullam creaturam prohibendam esse tanquam fomentum libidinis. Atque sic non solum ciborum bonitas *formalis* contra *Manichæos*, sed & *finalis* contra Pontificios ex h. l. probatur. Quid? quod Pontificii probare non possint, respexisse Apostolum præcisè ad *Encrattas*, *Marcionem* & *Manichæos*, utpote qui tum temporis nondum existebant. Vero magis simile est, respexisse eum ad Gentilium morem, qui Deastros suos excepto certo ciborum genere coli volebant, uti testatur *Tertullianus* adversus *Psychicos*. *Conf. Chemnit. part. 4. Exam. Conc. Trid. pag. 104. seqq.*

§. VI. Asserta itaque hac veritate, neque abstinentiam à cibis, neq; alias traditiones mereri gratiam & justificationem, removendæ quoque sunt exceptiones & objectiones Adversariorum §. 3. propositæ. (1.) *Opera legis non mereri quicquam* inquirunt, *opera tamen Evangelii meritoria esse*. Respond. Nihil ad rem facere distinctionem inter opera legis & Evangelii, cum in negotio justificationis & Salvationis pro iisdem habeantur, atque exercim in S. literis dicatur: nullum opus justificare. Quisquis igitur operibus quibuscunque istam vim tribuit, is vendicat iisdem, quod merito Christi competit; atque sic aliam quàm fidei justitiam tradit. (2.) *Traditionum observatione cupiditates carnis refrenari & coerceri* ajunt, & *homines per istiusmodi exercitia expeditiores reddi ad ea præstanda, quæ DEUS exigit*. Respond. Commendari quoque ab *Aug. Confessione* hoc Articulo corporalem disciplinam, neque improbari istiusmodi traditiones, si ritè instituantur, & ad suos ordinentur fines. Ita enim homines ad observationem præceptorum divinatorum reddi posse alacriores, Evangelici non negant. Cum verò tales traditiones  
sub

*Alia exceptiones proponuntur, & solvuntur.*


*Rejicitur distinctio inter opera legis & Evangelii.*



*Traditiones  
in Ecclesia  
Rom. non  
reddunt  
homines ad  
dei cultum  
expeditio-  
res.*

*Neque Le-  
ges Ecclesi-  
asticae sunt  
cultus di-  
vini.*

sub titulo cultus necessarij hominibus imperantur, uti in Ecclesia Rom. fit, non fiunt magis expediti ad cultum Dei, sed per hæc Conscientiarum vincula à vero Dei cultu abstrahuntur. *vid. Gerhard. Conf. Cath. l. 2. spec. part. 3. art. 24. c. 2. (3. Superiores habere potestatem ferendi leges, atque his legibus obediendum esse.* Respond. Ecclesiam semper retinere facultatem constituendi leges de rebus indifferentibus. Sed hæc leges debent esse tolerabiles, ne iisdem onerentur conscientia. Unde non sunt *cultus divinus, seu lauria*, cum nulli hominum liceat proprio motu aliquid instituire, quod insigniat nomine cultus divini; sed sunt aliquid sive ad ornandum, sive facilitandum divinum cultum pertinens. His itaque legibus obediendum, quamdiu ordinantur ad finem suum, si verò ab illo deficient, virtutem obligandi non habent. Sic ex *Historia Amice Tractationis* patet, paratos fuisse Nostrates Papistis sese conformare in ritibus & traditionibus quibusdam, si modo opinio intrinsecæ necessitatis & meriti reseretur. Sed nihil potuerunt obtinere, urgentibus semper Pontificiis necessitatibus harum rerum ad salutem. *vid. Chytrai Histor. August. Confess. Germ. fol. 187. seqq. Ejusdem Saxon. lib. XIII. ad An. 1530. Mens. Aug. p. 323.* Ubi res sequentem in modum narratur. *De meritis Operum & satisfactionibus, & cultu Sanctorum, & abusu articulis omnibus, de utraque specie, Missa, Canone, Conjugio Sacerdotum, Traditionibus humanis, & Jurisdictione Episcopis reddenda, integrè transgi non potuit. Et post pauca interjecta. Cum nimis impudenter Pontificii omnia sibi, que vellent, concedi à nostris urgerent; tandem omnes illa de Concordia actiones irrita, & res tota ad Imperatorem relata est.*





DISSERTATIO SEXTA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFSSIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS

Continens

Articulum VI.

DE

VOTIS MONA-  
CHORUM,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNÉ KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profest. Primario,  
& Mathemat. Ordinario.*Publica Eruditorum Disquisitioni subicit*

GEORGIUS LUDOVICUS KAHLER,

Rinteliensis.

IN AUDITORIO MAJORI

*Ad d. 1 Aug. An. 1711.*

Art. VI. DE VOTIS MONACHORUM.



*Vid de votis Monachorum apud nos doceatur, melius intelliget, si quis meminerit, qualis status fuerit Monasteriorum, quam multa contra Canones in ipsis Monasteriis quotidie fiebant. Augustini tempore erant libera collegia, postea corrupta disciplina, ubique ad-*

L dita



*dita sunt vota, ut tanquam excogitato carcere, disciplina restitueretur. Additæ sunt paulatim supra vota aliæ multæ observationes. Et hæc vincula multis ante justam ætatem contra Canones injecta sunt. Multi inciderunt errore in hoc vitæ genus, quibus etiamsi non deessent anni, tamen iudicium de suis viribus defuit. Qui sic irretiti erant, cogebantur manere, etiamsi quidam beneficio Canonum liberari possent. Et hoc accidit magis etiam in Monasteriis Virginum, quàm Monachorum, cum sexui imbelilliori magis parcendum esset. Hic rigor displicuit multis bonis viris ante hæc tempora, qui videbant, puellas & adolescentes in Monasteria detrudi propter victum, videbant, quàm infeliciter succederet hoc consilium, quæ scandala pareret, quos laqueos conscientis injiceret. Dolebant auctoritatem Canonum in re periculosissima omninò negligi & contemni.*

*Ad hæc mala accedebat talis persuasio de votis, quam constat etiam olim displicuisse ipsis Monachis, si qui paulò cordatiores fuerunt, docebant, vota paria esse baptismo, docebant, se hoc vitæ genete mereri remissionem peccatorum, & justificationem coram Deo. Imò addebant, vitam Monasticam non tantum iustitiâ mereri coram Deo, sed amplius etiam, quia servaret non modo præcepta, sed etiam consilia Evangelica.*

*Ita persuadebant, Monasticam professionem longè meliorem esse baptismo, vitam Monasticam plus mereri, quàm vitam Magistratum, vitam pastorum & similium, qui in mandatis Dei sine factitiis religionibus suæ vocationi serviunt. Nihil horum negari potest, extant enim in libris eorum.*

*Quid*



Quid fiebat postea in Monasteriis? Olim erant scholæ sacrarum literarum, & aliarum disciplinarum, quæ sunt utiles Ecclesiæ, & sumebantur inde pastores, & Episcopi. Nunc alia res est, nihil opus est recitare nota. Olim ad discendum conveniebant, nunc fingunt, institutum esse vitæ genus ad promerendam gratiam & justitiam, imò prædicant, esse statum perfectionis, & longè præferunt omnibus aliis vitæ generibus à DEO ordinatis.

Hæc ideo recitavimus, nihil odiosè exaggerantes, ut melius intelligi posset de hac re doctrina nostrorum. Primum de his qui matrimonia contrahunt, sic docent apud nos, quod liceat omnibus, qui non sunt idonei ad cælibatum, contrahere matrimonium, quia vota non possunt ordinationem ac mandatum Dei tollere. Est autem hoc mandatum Dei, Propter fornicationem habeat unusquisque uxorem suam. Neque mandatum solum, sed etiam creatio & ordinatio Dei cogit hos ad conjugium, qui sine singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud. Non est bonum homini esse solum. Igñtur non peccant isti, qui obtemperant huic mandato & ordinationi Dei.

Quid potest contra hæc opponi? Exaggeret aliquis obligationem voti, quantum volet, tamen non poterit efficere, ut votum tollat mandatum Dei. Canones docent, in omni voto jus superioris excipi, quare multo minus hæc vota contra mandata Dei valent. Quod si obligatio votorum nullas haberet causas, cur mutari possit; nec ROMANI Pontifices dispensassent. Neque enim licet homini obligationem, quæ simpliciter est



*juris divini rescindere. Sed prudenter judicaverunt Romani Pontifices, equitatem in hac obligatione adhibendam esse. Ideo saepe de votis dispensasse leguntur. Nota est historia de Rege Arragonum, revocato ex Monasterio, & extant exempla nostri temporis.*

*Deinde cur obligationem exaggerant adversarii, seu effectum voti, cum interim de ipsa voti natura silent, quod debet esse in re possibili, quod debet esse voluntarium, sponte & consulto conceptum. At quomodo sit in potestate hominis perpetua castitas, non est ignotum. Et quotusquisque sponte & consulto vocit? Puella & adolescentes priusquam judicare possunt, persuadentur ad votendum, interdum etiam coguntur. Quare non est equum, tam rigide de obligatione disputare, cum omnes fateantur contra voti naturam esse, quod non sponte, quod inconsulto admittitur.*

*Pleriq; Canones rescindunt vota ante annum 15. contracta, quia ante illam etatem non videtur tantum esse iudicii, ut de perpetua vita constitui possit. Alius Canon plus concedens hominum imbecillitati, addit annos aliquot, vetat enim ante annum 18. votum fieri. Sed utrum sequemur, maxima pars habet excusationem, cur Monasteria deserant, quia plurimi ante hanc etatem voverunt. Postremò, etiamsi voti violatio reprehendi posset, tamen non videtur statim sequi, quod conjugia talium personarum dissolvenda sint. Nam Augustinus negat debere dissolvi 27. quest. 1. cap. Nuptiarum, cujus non est levis autoritas, etiamsi alii postea aliter senserunt.*

*Quanquam autem mandatum Dei de conjugio videatur*

*deatur*



deatur plerosque liberare à votis, tamen afferunt nostri & aliam rationem de votis, quod sint irrita, quia omnis cultus Dei, ab hominibus sine mandato Dei institutus & electus ad promerendam justificationem & gratiam, impius est, sicut Christus ait, Frustra colunt me mandatis hominum. Et Paulus ubique docet, justitiam non esse querendam ex nostris observationibus & cultibus, qui sunt excogitati ab hominibus, sed contingere eam per fidem credentibus, se recipi in gratiam à Deo propter Christum, non propter ulla nostra merita.

Constat autem, Monachos docuisse, quod factitia religiones mereantur remissionem peccatorum & justificationem, & quod pro peccatis satisfaciant. Quid hoc est aliud, quàm de gloria Christi detrabere & obscurare, ac negare justitiam fidei? Sequitur igitur, ista vota usitata, impios cultus fuisse, quare sunt irrita. Nam votum impium, & factum contra mandata Dei non valet, neque enim debet votum vinculum esse iniuquitatis, ut Canon dicit.

Paulus dicit, Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini, à gratia excidistis. Id est, qui sentiunt quod mereantur propriis operibus remissionem peccatorum, & quod propter propriam legis impletionem placeant Deo, ne sentiunt, quod propter Christum gratias accipiant fide donatam remissionem peccatorum per misericordiam Dei, & quod propter Christum placeant Deo, hi amittunt Christum, quia fiduciam debitam Christo & promissioni Dei, transferunt ad opera. Item opponunt iræ Dei, non propitiatorem Christum, sed  
pro-



*propria opera, quare honorem debitum Christo, transferunt ad opera nostra. Constat autem Monachos hoc docere, quod suis observationibus mereantur remissionem peccatorum, quod habeant Deum propitium propter has observationes. Quare docent confidere suis operibus, non propitiatione Christi. Hec fiducia est impia, & cum evangelio pugnat, & in iudicio Dei deprehendetur esse inanis. Non enim possunt opera nostra opponi iræ ac iudicio Dei. Tantum ita placatur ira Dei, quando gratuitam misericordiam, propter Christum promissam fide apprehendimus. Amittunt igitur Christum, qui fiducium non in Christum, sed in opera propria collocant.*

*Præterea Monachi docuerunt, suum vitæ genus statum esse perfectionis, quia observarent non solum præcepta, sed etiam consilia. Hic error maxime pugnat cum evangelio, quod finxerunt se præceptis ita satisfacere, ut amplius etiam facerent. Et hinc natus est horribilis error, quod finxerunt se habere merita super erogationis. Hæc applicaverunt pro aliis, ut satisfactiones essent pro alienis peccatis. Hæc si quis odiosè velit exagitare, quàm multa commemorare possit, quorum iam ipsos Monachos pudet.*

*Non est leve scandalum in Ecclesia, populo proponere certum cultum ab hominibus excogitatum sine mandato Dei, & docere quod talis cultus iustificet homines. Quia iustitia fidei in Christum, quam maximè oportet tradi in Ecclesia, obscuratur, cum ille mirificæ religiones Angelorum, simulatio paupertatis & humilitatis & cælibatus offunduntur oculis hominum.*

*Præ-*



Præterea obsecrantur præcepta Dei, & verus cultus Dei, cum audiunt homines, solos Monachos esse in statu perfectionis, quia perfectio Christiana est, seridè timere Deum, & rursus concipere magnam fidem, & confidere propter Christum, quod habeamus Deum placatum, petere à Deo, & certo expectare auxilium in omnibus rebus gerendis, juxta vocationem. Interim foris diligenter facere bona opera, & servire vocationi. In his rebus est vera perfectio, & verus cultus Dei, non est in cælibatu aut mendicitate, aut veste sordida. Ac populus concipit multas perniciosas opiniones ex illis falsis præconiis vitæ Monasticæ. Audit sine modo laudari cælibatum, ideo cum offensione conscientie versatur in conjugio. Audit, solos mendicos esse perfectos, ideo cum offensione conscientie retinet possessiones, negotiatur. Audit, consilium evangelicum esse de non vindicando, ideo alii in privata vita non verentur ulcisci, audiunt enim a consilio esse non præceptum. Alii omnes magistratus & civilia officia judicant indigna esse Christianis.


Leguntur exempla hominum, qui deserto conjugio, deserta reipublicæ administratione, abdiderunt se in Monasteria. Id vocabant fugere ex mundo, & querere vitæ genus, quod Deo magis placeret, nec videbant Deo servendum esse in illis mandatis, quæ ipse tradidit, non in mandatis, quæ sunt excogitata ab hominibus. Bonum & perfectum vitæ genus est, quod habet mandatum Dei. De his rebus necesse est admonere homines. Et ante hæc tempora reprehendit Gerson errorem Monachorum de perfectione, & testatur suis temporibus novam vocem fuisse, quod vita monastica sit status perfectionis.

Tam



*Tam multæ impie opiniones hærent in votis, quod mereantur remissionem peccatorum & justificationem, quod sint perfectio Christiana, quod seruent consilia & præcepta, quod habeant opera supererogationis. Hæc omnia cum sint falsa & inania, faciunt vota irrita.*

## §. I.



*Arcticulus præcedens de Discrimine Ciborum* cujusvis status & conditionis homines in Papatu obligat, indeq; *Abusus Universalis* appellari solet; Vota verò monastica *Monachos* solum & *Moniales* obstringunt, & ob id *abusus* hic *particularis* dicitur. Nomen *Accepere Monachi* &

*Monachi à solitaria vita nomen obtinent.*

*Moniales* à solitudine, eò quod extra hominum consortium solitariam agant vitam. Et quanquam ista appellatio iis, qui in eremis degebant, primum conveniret; translata tamen postea in Papatu ad eos quoque, qui in cœnobiis vitam tolerant, atque à communi hominum consortio separati sunt.

*Votum unde dicatur?*

§. II. *Votum* aliàs apud Græcos dicitur *ἔυχῆ* ab *ἔυχέειν*, bonum quid fundere, ab *ἔν* *ἔρχειν*, ut vult *Scaliger Exercit.* 30. qui etiam existimat, Latinis *votum* à *βοῶν* haut dubiè esse, quia constituti in periculis elata voce vovebant. Germanis *Gelübb* à *loben* vel *lieben* cum *Φιλιππῶν* sint, quæ s. voventur, s. laudantur, plura de voti nomine vid. apud *Dannhauer. part. I. Læth. Carechet. Conc.* 34.

*In N. T. non est prohibitum aliquid vovere.*

§. III. Ad rem ipsam quod attinet, prohibitum non est, hodiernum in N. T. aliquid vovere, si per *votum* intelligatur obligatio præcepto morali annexa, ita enim res præceptas sub *votum* quoque cadere, liquet ex *Gen. XXVIII. v. 20.* videantur *Interpretes* & inter eos *D. Joh. Ad. Osander Comment. in h. l. p. 463.* Labet quoque apponere, quæ *Chemnitius part. 2. Exam. Conc. Trid. p. 50.* in hanc rem scribit: *Moralia, inquit, hoc est, quæ ad fidem & charitatem pertinent, eadem sunt*  
in



in V. & in N. T. Et hac qua ex mandato debentur, si interposita peculiari obligatione cum obtestatione Nominis Divini Deo promittantur, si hoc non fiat opinione meriti, justitia, remissionis peccatorum & vita aeterna, nec ea opinione, quod melior & praestantior Dei cultus sit, si fiat ex voto, quam si ex obedientia propter mandatum Dei fiat, sed ideo tantum, ut inconstantia voluntatis humana arctius constringatur, non pugnat cum Verbo Dei. Tale enim pactum, seu talis promissio obligatio fit in actione baptismi. Et nihil aliud est, quam quod de fide Paulus dicit, 2 Cor. XI. Despondi vos uni Viro, Virginem castam exhibere Christo. De Nova verò obedientia Rom. XII. Exhibeatis s. sistatis corpora vestra hostiam Deo, & ne conformemini huic saeculo. Hoc si quis votum appellare velit, de appellatione nemo dimicabit. Et hujusmodi votum N. T. unicum est baptismus, votum omnium fidelium commune, quo quis proficitur, se renunciare Sathanæ & adherere Christo. Quò etiam pertinet, quod Augustinus in Psal. LXXV. lit. P. 4. scribit: Vovete & reddite Domino Deo vestro omnes communiter. Quid debemus vovere? Credere in illum: sperare ab illo vitam aeternam. Bene vivere secundum communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus: Furium non facere. Adulterium non facere. Omnibus præcipitur, non amare violentiam, qua ingurgitur anima, & corrumpitur in se templum Dei: Omnibus aequaliter præcipitur, non hominem occidere, non odisse fratrem: non adversus aliquem texere perniciem: Omnibus in communi præcipitur. Hoc totum omnes vovere debemus. Breviter: unum Baptismi votum virtualiter omnia complectitur, quæ unquam voveri possunt. Hinc Felix Bidembach, Conc. 32. in 1 Sam. XIV. Hat einer etwas Rechtes vor / so darff ers nicht erst geloben; Er hats in der Tauff gelobet / da er ist ein Christ worden. Hat Er denn etwas Unrechtes für Jhm / darffers nicht verreden zu meiden / denn er ist ein Christ / so hat ers in der Tauff schon verredt / als vollzuerincken / ungebührlich zu spielen und dergleichen. Istts aber etwas mittelmäßiges / das in seinem freyen Willen stehet /

M

Sententia Mart. Chemnitii refertur, an & quatenus in N. T. voverendum?

Baptismus est votum N. T. omnibus commune.

Votum baptismi virtualiter continet omnia, quæ voveri possunt.

so



so ist's besser / er behalt Ihm selbst die Hand offen / der Teuffel sicht die sonderlich an / die etwas gelobet haben / und wirfft Ihnen allerhand in den Weg. Soll denn einer durch solch Gelübd in Unglück kommen / so ist Er an Ihm selbst schuldig. Soll ers dann nicht halten / so ist der Nahme Gottes mißbraucht / und machet er sich selbst leicht gegen der Welt / daß er sein Wort nicht hält / das aus seinem Munde gangen ist / wie die Schrift hievon rehet.

*Tria recensentur vota monastica, Castitatis, Paupertatis & obedientia.*

§. IV. Si ritè numeremus vota monastica, eorum tria præcipuè occurrunt; *Votum Castitatis, Paupertatis, & Obedientia.* Ubi advertendum, *Castitatem* aliàs non opponi conjugio, sed illicitæ carnis cupiditati; cùm & in Conjugio homo castè vivere possit. Hinc *Augustinus in Psal. LXXV.* *Alius vovet Deo castitatem conjugalem, ut præter uxorem suam non noverit aliam, sic & femina, ut præter virum suum non noverit alium.* Interim tamen Pontificii *Castitatem* eam intelligunt, quæ est abstinentia ob omni muliere & consuetudine conjugali aliàs licita. Eodem modo *Paupertas* à Papistis h. l. non accipitur pro carentia & penuria eorum, quæ pertinent ad victum & amictum, cùm *Monachi & Moniales* raro in suis Monasteriis egestate premantur, sed per sæpè iis accommodare liceat illud *Hieronymi ad Neporianum Part. 3. Epistol. tract. 3.* *Epistol. 7.* *Paupertatem, inquit, voto præ se ferunt, interim diviores sunt Monachi, quàm fuerant seculares, & Clerici qui possident opes sub Christo paupere; quas sub locuplere & fellace Diabolo non habuerant, ut susciperet eos Ecclesia divites; quos mundus tenuit ante mendicos.* Adeoque Deo & hominibus illudunt. Est ergò h. l. *Paupertas* Pontificiis nihil aliud, quàm *carentia propria possessionis*; de qua paupertate pronunciat *Amesius l. 5. Cas. Consc. c. 47.* *Paupertas ista simulata est ingratitude erga Deum, cujus benedictio abnegatur: Et injuria erga homines, tam illos, quibus auxilium debitum denegatur, quàm illos, qui propterea magis onerantur, Proverb. XIII, 7.* Denique de *Obedientia* id tenendum, talem vigere in papalibus Cœnobiis, quæ præ-



præscriptis Regulis Monasticis conformis sit, quæque planè similis est illi Rabbinnica à R. Sal. Jarchi propositæ *Comment. ad Deut. XVII, 11.* *Etiamsi dixerint Rabbini de manu dextra, quod sinistra sit, & de manu sinistra, quod dextra, credendum hoc esse.*

§. V. Originem horum votorum explicat *Augustana Confessio* ex eo, quod Monasteria olim quidem libera fuerint Collegia & Scholæ Sacrarum Literarum, & aliarum disciplinarum; Quæ collegia si quis pio quodam Zelo commotus ingressus esset, poterat eadem rursus relinquere, & aliud vitæ genus amplecti. Cùm verò ista Collegia degenerarent velut ab aureo genere in ferreum, seu *ut cubus Platonius in malas harmonias, quas Plato ait exitium afferre*; adeò ut collaberetur in iis disciplina; cogitatum est de ratione instaurandi collapsam disciplinam, & sic ad vota itum, collegiaque in carceres quasi versa, atque aliæ insuper observationes additæ sunt, quibus omnibus tanquam vinculis multi ante discretionis annos contra tenorem Canonum constringebantur; multi verò incauti in retia velut pellecti omnes vitæ suæ dies in istis Monasteriis transigere cogebantur, neque etiam sexui imbecilliori dabatur exeundi facultas. Quem *abusum* meritò reprehendit *Augustana Confessio*, insuperque commemorat, alia adhuc mala accessisse, & Monachos quosdam docuisse; *Vota esse paria baptismo; vitam Monasticam mereri remissionem Peccatorum & justificationem coram Deo; eandem vitam ajebant servare præcepta & Consilia Evangelica; esse perfectiorem statu Magistratuum & Pastorum, qui in mandatis Dei suæ vocationi serviebant.*

§. VI. Ita de votis & statu suo gloriabantur Monachi. Eò autem collimat ista de *vita Monastica* doctrina, ut *Monarchia Ecclesiastica* atque *Potestas & Autoritas Papalis* magis stabilietur, uti *Articulos Fidei* plurimos in *Papatu* ad *rationem status* compositos esse jam dudum innotuit. Eleganter eam rem expressit sæpè laudatus *Sam. de Pufendorf. Intraduct.*

M 2

Unde Originem habeant vota Monastica?

*Apolog. Aug. Conf. p. 277.*

*Vota Monastica tendunt ad conservandam & stabilendam Autoritatē atque potestatem Rom. Pontificis.*

Hist.



*Hist. c. 12. §. 32.* Die Unterthanen dieser geistlichen Souverainität können in 2. Classes abgetheilet werden; deren die eine be- greiff die gesammte Clerisey/ die andere bestehet aus denen übrigen Christen / so der Römischen Kirchen zugethan sind / die sie inögemein Layen nennen. Die ersten kan man verleichnen mit der beständigen Milice eines Potentaten / der grosse Conquesten gemacht hat / dadurch Er diese im Zaum hält 2c. & circa finem §. 32. Man kan diese Class. wieder abtheilen in diejenige / so schlechthin Priester und Geistliche sind; und die welche **sonders bahre Gelübde** haben / als da sind **Mönche** und **Jesuiten** / die man gleichsam für das **Leib-Regiment des Pabsts** halten muß / 2c. Et §. 35. Die **Jesuiten** haben mit solcher Kinder-Information nicht allein ihrem Orden gross Ansehen und Reichthum erworben / sondern auch **des Pabsts Staat** mächtig unterstützt / als welchen zu befördern / diese für andere **Mönchen ein besonder Gelübde** thun. Denn damit drucken Sie den zarten Gemüthern der Jugend eine Veneration gegen den **Pabst** ein / und was sonst für Neigungen ihrem Staat dienlich seyn können.

§. VII. *Ex dictis facile decidi potest questio: Nun*

*A. C. dum  
vota Mo-  
nastica im-  
pugnat, im-  
primis im-  
petit votum  
Castitatis.*

*Votum Ca-  
stitatis re-  
pugnat  
mandato  
& ordina-  
tioni Dei.*

*ralia vota sint licita? Augustana Confessio negativam rectè tuetur; Cum verò omnia, quæ hic contra vota Monastica dicuntur, imprimis directa sint contra votum Castitatis, nostrum erit, premere vestigia A. C. atque argumenta ex eadem breviter repetere. Primum argumentum desumptum est ab ordinatione & Mandato Dei, cui quicquid repugnat, id illicitum est. Votum autem continentiae emissum à Monachis & Monialibus continentiae dono non instructis repugnat mandato & ordinationi Dei; Est enim mandatum Dei, ut propter fornicationem vitandam unusquisque uxorem suam habeat. 1 Cor. VII, 2. Et Ordinatio Dei atque creatio requirit, ut matrimonium ineant, qui singulari Dei opere non sunt excepti, juxta illud: Non est bonum esse hominem solum, Genes. II, 18. Jam si quis prædictum votum expendat, quo viventes in*



in Monasteriis perpetuam promittunt continentiam, is de pugna inter hoc votum & mandatum atque ordinationem Dei non amplius dubitabit. Audet quidem Bellarminus l. 1. de Cleric. c. 21. locum hunc ita corrumpere, ut dicat, *Id è xētō explicandum esse, vel de consilio, vel de præcepto. Do consilio quidem, cum quis voto non obligatus est. De præcepto autem, si referatur ad conjugatos, hoc sensu: Unusquisque uxorem suam habeat, i. e. habere pergat, retineat.* Sed quis licentiam dedit Bellarmino imperativum *xētō* explicandi per consilium? *Si consilium hoc tale sit*, inquit Arnisaus de Jur. Connub. c. 1. Sect. 6. in fine, *quod sequi liceat & non sequi, cum due tantum pateant via, ut aut uramur, aut ineamus Conjugium, qui posterius detrectant, ex concessione Bellarmini licite agunt, si urantur & non contineant, sed liberis lustris liberè studeant.* Quando verò alterutrum vitiosum est, alterutrum necessarîo sequendum est, quia honestum & virtutem in se continet vitio oppositam. Deinde si præceptum hoc ad solos conjugatos pertineret, eadem facilitate & magis propriè dixisset Apostolus; *unusquisque retineat uxorem suam.* Sed præcedens versus nec non annexa ratio istam limitationem non ferunt, quia Apostolus in genere responderet literis Corinthiorum: *Bonum est, mulierem non tangere*, quod ipse Bellarminus potius de innuptis, quàm nuptis accipit. Quare in eadem latitudine accipienda erit adversativa: *Sed propter fornicationem Unusquisque habeat uxorem.* Eò magis quidem, quia periculum fornicationis æquè imminet innuptis, si vitant conjugium, quàm conjugatis. Explicanda ergò lex est ex sua ratione, & in paribus causis paria jura statuenda l. illud 32. ad l. Aquil.

Exceptio.

Solvitur.

§. VIII. Secundum argumentum contra *Votum Castitatis* petitum est à natura Voti, requiritur enim ad votum 1. ut sit de re possibili, 2. ut sit voluntarium, 3. ut sit sponte & consultò susceptum: quæ requisita in Votis Monachorum non reperiuntur. *Impossibile enim est, s. in potestate*

*Votum Castitatis non observat requisita Votorum.*



state omnium voventium non est, perpetuam vovere continentiam, uti testatur experientia. Deinde plurima quoque Monachorum & Monialium vota non sunt voluntaria. *Quotus quisque enim*, inquit *A. C. sponte & consulto vovet? puella & adolescentes priusquam judicare possunt, ad vovendum inducuntur &c.* Unde vovent rem perpetuò duraturam, quam tamen sic semper se habituram, non sunt certi, cum Deus nemini, etiam habenti donum continentiae, perpetuitatem ejusdem promiserit. Non ergò hic sufficit, habere voluntatem vovendi, sed & deliberatum consilium requiritur, quo omnes circumstantiae & futura quoque incommoda expenduntur, antequam istiusmodi votum emitatur. Jubent equidem *Scriptores Pontificii*, ut bono sint animo, & non desperent, qui ad continentiam obligari sunt, quod continentia donum Dei sit, qui ipse *Matth. 7. promiserit, se Spiritum bonum petentibus esse daturum.* Sed ex eo votum hoc stabilire non possunt. Quid enim? an omne & quodcumque petitum dabitur? Quid si quis peteret, ut nunquam peccatum ullum sentiat; ut charisma linguarum & sapientia Salomonis ei detur; num illud dabitur, quod petitur? Quare limitatio ex *Cap. 6. Matthaei vers. 8.* hic repetenda est: *Quantum Pater caelestis novit in Consilio Sapientiae suae nobis opus esse. Quaecumque petieritis in nomine meo, Joh. XIV, 13.* Multi verò petentes continentiae donum & perpetuam castitatem non exauditi sunt; unde ad voluntatem Patris caelestis eos non petiisse, colligi potest. Si quis ergò tali voto irretitus fuerit, neque tamen id servare queat, rectè illud rescindit, neque ob id Votifragi censeri potest, uti subinde *Lutherum à Papæis appellari legimus.* Ipse verò *Lutherus optimam edidit Apologiam Tom. XII. Wirteberg. p. 255.* Wenn Ich nun von solcher Teuffels Rott entwinnet und von solcher Müncherey entlieffe/ und mich Herzog Georg oder Pabst darum meinendig oder verlossen Münch schülte/ wie meinsiu / daß Sie mir an meine Ehr reden und mich erschre-

*Obiectio.**Solvitur.**An petere liceat donum Continentiae?**Votum Castitatis rescindi potest.**Lutherus non fuit votifragus.*



schrecken würden? Gerade als wenn sich ein Mammeluck wieder zum Christen-Glauben vom Türken bekehre / oder ein Zauberer sich von des Teuffels Verbündniß zur Buße in Christo begeben / dieselben waren auch Apostaten / verlauffene seelige Meinendige / die dem Teuffel nicht Glauben gehalten / und Apostaten von Ihm werden. Rem paucis: Multa Monachorum vota fiunt & facta sunt absque principiis rectè agendi, dum voventes claro intellectus judicio, libera voluntate atque potestate plena sui & rei promissa destituti fuere; Talia ergò vota in irritum revocari, aut tanquam irrita & nulla declarari possunt. quid quod ipsi Jesuitæ juramenta de re possibili præstita rescindant aut eludant, ut docet *Nepotismus Romanorum Pontificiũ lib. 3 c. 15.* nullo igitur jure iis succensere possunt, qui *vorum continentia* abolent, cum id servare non possunt.

§. IX. Et cum ista vota ab Adversariis habeantur pro peculiari aliquo cultu, quo homo justificationem & gratiam apud Deum mereatur; hinc *tertium argumentum* contra ea nascitur, quod in hunc modum formari potest. Qui cultus sine mandato Dei institutus & ab hominibus electus est, is est illicitus; Deus enim non vult alio quàm à se præscripto modo coli. Atqui vota monastica sunt talis cultus, ab hominibus sine mandato Dei electus. Ergò sunt illicita. Cujus argumenti propositio minor probatur, ex *Matth. XV, 9.* *Frustrame colunt doctrinis, qua sunt mandata hominum.* Provocat itidem *Aug. Confessio* ad doctrinam Pauli passim in Epistola ad Romanos propositam. *Justitiam non esse quarendam ex nostris observationibus & cultibus.* vid. §. *Constat autem Monachos docuisse &c.* Succedit huic *argumentum quartum*, quod ista vota sint scandali plena. Dum enim simulatio paupertatis, humilitatis & cœlibatus hominum oculis offunduntur, insuperque docetur, Monachos istiusmodi votis obligatos versari in genere quodam vitæ perfectissimo; non possunt non obscurari præcepta Dei & verus Dei cultus, qui consistit in timore Dei & fiducia meriti Christi, ut à Deo petamus & expectemus auxilium in omnibus rebus gerendis juxta *vocatio-*

Jesuita juramenta irrita declarant, quanquam de re possibili concepta fuerint.

Vota monastica sunt cultus ab hominibus electus, qui Deo non placet.

Scandala quoque pariunt & obscurant verum Dei cultum.



*Pontifices  
in votis  
hisce di-  
spensasse le-  
guntur,  
quod fieri  
non posset,  
si jure di-  
vino obli-  
garent.*

*Proponitur  
objectio ex  
Matthæo  
XIX, 12.*

*Solvitur  
per Eunuchos qui se  
propter reg-  
num cælo-  
rum castra-  
runt, intel-  
liguntur ii,  
qui dono  
continentiæ  
instructi li-  
bere absti-  
nent à con-  
jugio.*

cationem, ut proximum diligamus & serviamus vocationi. Hæc perfectio vera est Christianorum, ea verò quam *Monachi* jactant, est mera hypocrisis, quanquam simpliciores sacros hos homines admirentur venerenturque, atque relicta vocatione sua idem nonnunquam vitæ genus amplectantur. *Ultimo denique loco* urget *Augustana Confessio* praxin Pontificum Romanorum in istiusmodi votis dispensantium. Quodsi verò ista vota vim obligandi de jure divino haberent, nulla dispensatione humana tolli possent. Plura argumenta contra hæc vota prostant in *Apologia Augustana Confessionis*, ubi etiam argumenta Adversariorum maximam partem refelluntur.

§. X. Refert ad propositum, sub finem hujus *Dissertationis* Dictum Matth. XIX, 12, considerare, utpote quod pro causa sua Adversarii crebrò allegare solent. Dicit autem Dominus l. c. *Esse quosdam Eunuchos, qui se ipsos castraverunt propter regnum cælorum*, additque hanc adhortationem: *Qui potest capere capiat.* Ubi *Eunuchorum* appellatio votum indicare videtur, cum enim hi Eunuchi neque ex naturæ vitio, neque ex lege aliqua communi abstineant, superest ut ex lege sponte assumpta, i. e. voto dicantur abstinere. Respond. *Eunuchi* vocabulum h. l. accipi in latiori significatione, ut recensitas vers. 12. tres *Eunuchorum* species complectatur. Quod ergò ad eos attinet, qui se ipsos castrarunt, hi per metaphoram & in comparatione ad reliquorum ordinum Eunuchos ita appellantur, suntque Eunuchi spiritualiter ita dicti, qui dono continentiæ prædici liberè à matrimonio abstinere, & quidem *propter regnum cælorum*, i. e. ut expeditius regno Dei promovendo vacare possint, ut Paulus explicat 1 Cor. VII, 32. 33. Nihil itaque præsidii hîc pro voto perpetuæ castitatis invenitur. Fac autem, hos Eunuchos se per votum obligasse, plus tamen ex eo non sequitur, quàm eos, *quibus datum est*, continentiam vovere posse. In Papatu autem omnes Monachi & Moniales sine discrimine vovent.

vid. de Votis Monasticis *Danhauer. Hodom. Pap.*

*Phant. 2. p. 796. seqq.*



DISSERTATIO SEPTIMA,

*Super*

AUGUSTANAM CONFSSIONEM

DE

MUTATIS ABUSIBUS,

Continens

Articulum VII.

DE

POTESTATE  
ECCLESIASTICA,

QUAM

PRÆSIDE

JOHANNE KAHLER,

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primario,  
& Mathemat. Ordinario,

*Publicæ Eruditorum Disquisitioni subijcit*

JOHANN. BERNHARD. SCHROETER,

Rintelio-Schaumburgensis.

IN AUDITORIO MAJORI

*Ad d. 5 Sept. An. 1711.*

ART. VII.

DE POTESTATE ECCLESIASTICA.

**M**agna disputationes fuerunt de potestate  
Episcoporum, in quibus nonnulli incom-  
modè commiscuerunt potestatem eccle-  
siasticam & potestatem gladii. Et ex  
hac confusione maxima bella, maximi motus exti-  
terunt.



terunt, dum Pontifices freti potestate clavium, non solum novos cultus instituerunt, reservatione casuum, violentis excommunicationibus conscientias oneraverunt, sed etiam regna mundi transferre, & Imperatoribus adimere imperium conati sunt. Hæc vitia multo antè reprehenderunt in Ecclesia homines pii & eruditi. Itaque nostri ad consolandas conscientias, coacti sunt ostendere discrimen ecclesiasticæ potestatis, & potestatis gladii, & docuerunt utramque propter mandatum Dei religiosè venerandam & honore afficiendam esse, tanquam summa Dei beneficia in terris.

Sic autem sentiunt, potestatem clavium, seu potestatem Episcoporum, juxta Evangelium, potestatem esse seu mandatum Dei, prædicandi Evangelii, remittendi & retinendi peccata, & administrandi sacramenta. Nam cum hoc mandato Christus mittit Apostolos: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos. Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt Marc. XVI. Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ, &c.

Hæc potestas tantùm exercetur docendo seu prædicando verbum, & porrigendo sacramenta, vel multis vel singulis juxta vocationem, quia conceduntur non res corporales, sed res æternæ, justitia æterna, Spiritus sanctus, vita æterna. Hæc non possunt contingere nisi per ministerium verbi & sacramentorum, sicut Paulus dicit: Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Itaque cum potestas ecclesiastica



lica concedat res aternas, & tantum exerceatur per ministerium verbi, non impedit politicam administrationem, sicut ars canendi nihil impedit politicam administrationem. Nam politica administratio versatur circa alias res, quàm Evangelium. Magistratus defendit non mentes, sed corpora & res corporales, adversus manifestas injurias, & coërcet homines gladio, & corporalibus pœnis, ut justitiam civilem & pacem retineat.

Non igitur commiscende sunt potestates ecclesiastica & civilis. Ecclesiastica suum mandatum habet, Evangelii docendi & administrandi sacramenta. Non irrumpat in alienum officium, non transferat regna mundi, non abroget leges Magistratum, non tollat legitimam obedientiam, non impediat judicia de ullis civilibus ordinationibus aut contractibus, non præscribat leges Magistratibus de forma reipublicæ, sicut dicit Christus: Regnum meum non est de hoc mundo. Item: Quis constituit me judicem aut divisorem super vos? Et Paulus ait Philip. III. Nostra politia in cœlis est, 2. Cor. X. Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destruendas cogitationes, &c. Ad hunc modum discernunt nostri utriusque potestatis officia, & jubent utramque honore afficere, & agnoscere utramque Dei donum & beneficium esse.

Si quam habent Episcopi potestatem gladii, hanc non habent Episcopi ex mandato Evangelii, sed jure humano, donatam à Regibus & Imperatoribus, ad administrationem civilem suorum honorum. Hæc interim alia functio est, quàm ministerium Evangelii.



Cum igitur de jurisdictione Episcoporum quaeritur, discerni debet imperium ab ecclesiastica jurisdictione. Porro secundum Evangelium, seu ut loquuntur, de jure divino, nulla jurisdictio competit Episcopis, ut Episcopis, hoc est, his quibus est commissum ministerium verbi & sacramentorum, nisi remittere peccata. Item, cognoscere doctrinam, & doctrinam ab Evangelio dissentientem rejicere, & impios, quorum nota est impietas, excludere à communione Ecclesiae, sine vi humana, sed verbo. Hic necessario & de jure divino, debent eis Ecclesiae praeferre obedientiam, juxta illud: Qui vos audit, me audit.

Verum cum aliquid contra Evangelium docent aut statuunt, tunc habent Ecclesiae mandatum Dei, quod obedientiam prohibet, Matth. VII. Cavete à Pseudopropheta, Gal. I. Si Angelus de caelo aliud Evangelium evangelizaverit, anathema sit. 2. Cor. XIII. Non possumus aliquid contra veritatem, sed pro veritate. Item: Data est nobis potestas ad aedificationem, non ad destructionem. Sic & Canones praecipunt, 2. q. 7. cap. Sacerdotes, & cap. Oves. Et Augustinus contra Petilianum Epistolam inquit: Nec catholicis Episcopis consentiendum est, sicubi forte falluntur, aut contra Canonicas Dei scripturas aliquid sentiunt.

Si quam habent aliam vel potestatem, vel jurisdictionem in cognoscendis certis causis, videlicet matrimonii, aut decimarum, &c. hanc habent humano jure: Ubi cessantibus ordinariis coguntur Principes vel inviti, suis subditis jus dicere, ut pax retineatur.

Præter hæc disputatur, utrum Episcopi seu Pastores hæ-



habeant jus instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, feriis, gradibus ministrorum, seu ordinibus, &c. condendi? Hoc jus qui tribuunt Episcopis, allegant testimonium: Adbuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Allegant etiam exemplum Apostolorum, qui prohibuerunt abstinere à sanguine, & suffocato. Allegant sabbatum mutatum in diem Dominicum contra Decalogum, ut videtur. Nec ullum exemplum magis jactatur, quam mutatio sabbati. Magnam contendunt Ecclesie potestatem esse, quòd dispensaverit de præcepto Decalogi.

Sed de hac questione nostri sic docent, quòd Episcopi non habeant potestatem statuendi aliquid contra Evangelium, ut supra ostensum est. Docent idem Canones 9. Distin. Porrò contra scripturam est, traditiones condere aut exigere, ut per eam observationem satisfaciamus pro peccatis, aut mereamur gratiam & justitiam. Læditur enim gloria meriti Christi, cum talibus observationibus conamur mereri justificationem. Constat autem propter hanc persuasionem, in Ecclesia penè in infinitum crevisse traditiones, oppressa interim doctrinà de fide & justitia fidei, quia subinde plures ferrie factæ sunt, jejunia indicta, ceremoniæ novæ, nec non honores sanctorum instituti sunt, quia arbitrabantur, se autores talium rerum, his operibus mereri gratiam. Sic olim creverunt Canones pœnitentiales, quorum adhuc in satisfactionibus vestigia quædam videmus.

Item,



Item, autores traditionum faciunt contra mandatum Dei, cum collocant peccatum in cibis, in diebus, & similibus rebus, & onerant Ecclesiam servitute legis, quasi oporteat apud Christianos ad promerendam justificationem cultum esse similem Levitico, cujus ordinationem commiserit Deus Apostolis & Episcopis: sic enim scribunt quidam. Et videntur Pontifices aliqua ex parte exemplo legis Mosaicæ decepti esse. Hinc sunt illa onera, quòd peccatum mortale sit etiam sine offensione aliorum, in feriis laborare manibus, quòd sit peccatum mortale, omittere horas Canonicas, quòd certi cibi polluant conscientiam, quòd jejunia sint opera placantia Deum, quòd peccatum in casu reservato non possit remitti, nisi accesserit autoritas reservantis, cum quidem ipsi Canones non de reservatione culpæ, sed de reservatione pœnæ ecclesiasticæ loquantur.

Unde habent jus Episcopi has traditiones imponendi Ecclesiis, ad illaqueandas conscientias? Cum Petr<sup>9</sup> vetet imponere jugum discipulis, cum Paulus dicat, potestatem ipsis datam esse ad edificationem, non ad destructionem; Cur igitur augent peccata per has traditiones?

Verùm extant clara testimonia, quæ prohibent conderi tales traditiones ad promerendam gratiam, aut tanquam necessarias ad salutem. Paulus Coloss. II. Nemo vos judicet in cibo, potu, parte diei festi, novilunio aut sabbatis. Item: Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quare tanquam viventes in mundo, decreta facitis? Non attingas, non gustes, non contrectes, quæ omnia per eunt usu, & sunt mandata & doctrinæ homi-



hominum, quæ habent speciem sapientiæ. Item, ad Titulum aperte prohibet traditiones, Non attendentes Judaicis fabulis, & mandatis hominum aversantium veritatem. Et Christus Matth. XV. inquit de his, qui exigunt traditiones: Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et improbat tales cultus: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cælestis, eradicabitur.

Si jus habent Episcopi onerandi Ecclesias infinitis traditionibus, & illaqueandi conscientias, cur toties prohibet scriptura condere & audire traditiones? Cur vocat eas doctrinas demoniorum? Num frustra hæc præmonuit Spiritus sanctus? Relinquitur igitur, cum ordinationes institutæ tanquam necessariae, aut cum opinione promerendæ gratiæ, pugnent cum Evangelio, quòd non liceat ullis Episcopis tales cultus instituere aut exigere. Neesse est enim in Ecclesiis retineri doctrinam, de libertate Christiana, quòd non sit necessaria servitus legis ad justificationem, sicut in Galatis scriptum est: Nolite iterum iugo servitutis subjici. Neesse est retineri præcipuum Evangelii locum, quòd gratiam per fidem in Christum gratis consequamur, non propter certas observationes, aut propter cultus ab hominibus institutos.

Quid igitur sentiendum est de die Dominico, & similibus ritibus templorum? Ad hæc respondent, quòd liceat Episcopis seu Pastoribus facere ordinationes, ut res ordine gerantur in Ecclesia, non ut per illas mereamur gratiam, aut satis faciamus pro peccatis, aut obligentur conscientiæ, ut judicent esse necessarios cultus,  
ac



ac sentiant se peccare, cum sine offensione aliorum violent. Sic Paulus ordinat, ut in congregatione mulieres velent capita, ut ordine audiantur in Ecclesia interpretes, &c.

Tales ordinationes convenit Ecclesias propter caritatem & tranquillitatem servare eatenus, ne alius alium offendat, ut ordine & sine tumultu omnia fiant in Ecclesiis. Verum ita, ne conscientia onerentur, ut ducant res esse necessarias ad salutem, ac iudicent se peccare, cum violent eas sine aliorum offensione, sicut nemo dixerit, peccare mulierem, qua in publicum non velato capite procedit, sine offensione hominum.

Talis est observatio diei Dominici, Paschatis, Pentecostes & similibus feriarum, & rituum. Nam qui iudicant Ecclesia autoritate, pro sabbato institutam esse diei Dominici observationem, tanquam necessariam, longè errant. Scriptura abrogavit sabbatum, quæ docet omnes ceremonias Mosaicæ, post revelatum Evangelium omitti posse. Et tamen quia opus erat constituere certum diem, ut sciret populus, quando convenire deberet, apparet Ecclesiam ei rei destinasse diem Dominicum, qui ob hanc quoque causam videtur magis placuisse, ut haberent exemplum Christiana libertatis, & scirent, nec sabbati nec alterius diei observationem necessariam esse.

Extant prodigiosa disputationes de mutatione legis, de ceremoniis nova legis, de mutatione sabbati, qua omnes orta sunt ex falsa persuasionem, quod oporteat in Ecclesia cultum esse similem Levitico. Et quod Christus commiserit Apostolis & Episcopis excogitare novas ceremonias, qua sint ad salutem necessaria. Hi errores serpsent in Ecclesiam, cum iustitia fidei non satis clarè doceretur. Aliqui disputant diei Dominici observationem non quidem juris divini esse, sed quasi juris divini, præscriptum de feriis, quatenus liceat operari. Huiusmodi disputationes quid sunt aliud, nisi laquei conscientiarum? Quæquam enim conentur episcopis & tradiciones, tamen nunquam potest equitas deprehendi, donec manet opinio necessitatis, quam manere necesse est, ubi ignorantur iustitia fidei, & libertas Christiana.

Apo-



Apostoli iusserunt abstinere à sanguine, quis nunc observat? neque tamen peccant, qui non observant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum. Est enim perpetua voluntas Evangelii consideranda in decreto. Vix ulli Canones servantur accuratè, & multi quotidie exolescunt apud illos etiam, qui diligentissimè defendunt traditiones. Nec potest conscientis consuli, nisi hæc æquitas servetur, ut sciamus eos sine opinione necessitatis servari, nec ladi conscientias, etiamsi traditiones exoleant.

Facile autem possent Episcopi legitimam obedientiam retinere, si non urgerent servare traditiones, quæ bonâ conscientia servari non possunt. Nunc imperant cælibatum, nullos recipiunt, nisi jurent, se puram Evangelii doctrinam nolle docere. Non petunt Ecclesiæ, ut Episcopi honoris sui jacturâ sarciant concordiam, quod tamen decebat bonos Pastores facere. Tantum petunt, ut injusta onera remittant, quæ nova sunt, & præter consuetudinem Ecclesiæ catholice recepta. Fortassis initio quadam constitutiones habuerunt probabiles causas, quæ tamen posterioribus temporibus non congruunt. Apparet etiam, quasdam errore receptas esse: quare pontificia clementia esset, illas nunc mitigare, quia talis mutatio non labefacit Ecclesiæ unitatem. Multa enim traditiones humana tempore mutatae sunt, ut ostendunt ipsi Canones. Quod si non potest impetrari, ut relaxentur observationes, quæ sine peccato non possunt præstari, oportet nos regulam Apostolicam sequi, quæ præcipit, Deo magis obedire, quàm hominibus. Petrus vetat Episcopos dominari, & Ecclesiis imperare. Nunc non id agitur, ut dominatio eripiat Episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium purè doceri, & relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo Deo rationem reddituri sint, quod pertinaciâ suâ causam schismati præbent.

○

EPI.





## EPILOGUS.

**H**I sunt precipui articuli, qui videntur habere controversiam. Quanquam enim de pluribus abusibus dici poterat, tamen, ut fugeremus prolixitatem, precipua complexi sumus, ex quibus cetera facile judicari possunt. Magna querela fuerunt de indulgentiis, de peregrinationibus, de abusu excommunicationis. Parochia multipliciter vexabantur per stationarios. Infinita contentiones erant Pastoribus cum Monachis, de jure parochiali, de confessionibus, de sepulturis, de extraordinariis concionibus, & de aliis innumerabilibus rebus. Hujusmodi negotia pratermissimus, ut illa, quae sunt in hac causa precipua, breviter proposita, facilius cognosci possent. Neque hic quicquam ad ullius contumeliam dictum aut collectum est. Tantum ea recitata sunt, quae videbantur necessario dicenda esse, ut intelligi possit, in doctrina ac ceremoniis apud nos nihil esse receptum contra scripturam aut Ecclesiam catholicam, quia manifestum est, nos diligentissimè curasse, ne qua nova & impia dogmata in Ecclesias nostras serperent.

Hos articulos supra scriptos voluimus exhibere juxta edictum C. M. in quibus confessio nostra extaret, & eorum, qui apud nos docent, doctrina summa cerneretur. Si quid in hac confessione desiderabitur, parati sumus latiore informationem, DEO volente, juxta scripturas exhibere.

G. I.



§. I.



**H**ic est iste Articulus, qui merito dicitur *ἀνομήλις Monarchie papalis*, quique est fundamentum omnium *abusuum* hactenus recensitorum, uti in proclivi esset, illud in singulis ostendere, nisi id alii jamtum præstitissent, *vid. Sev. de Monz. ambano de Statu Imperii Germanici c. 8. §. 8. & Pufendorff. Introd. Hist. cap. XII. §. 29. seqq. Deutschman. Disp. 35. in Aug. Conf. §. 2.* Nam potestas ecclesiastica in papatu non absolvitur potestate predicandi Evangelium, remittendi & retinendi peccata, atque administrandi Sacramenta, quam Episcopi alique ecclesie Ministri de Jure divino ex allegatis Scripturæ dictis habent; neque satis habent Pontifici, ad regimen externum Ecclesie & inspectionem ecclesiasticam potestatem extendere; Sed & jus absolutum instituendi novos cultus Pontifices sibi arrogant, atque conscientias onerant reservatione casuum, violentis excommunicationibus, insuperque potestatem sibi vendicant in Reges & Principes, quos solio dejicere, iisque imperia adimere audent. Atque hic *abusus* de ecclesiastica potestate ultimo loco in *Aug. Confessione* proponitur, quia ista potestas tam circa res sacras, quam circa papificas versatur, indeque *abusus* omnium *maximus* dici potest, & quia reliqui *abusus* sunt quasi partes ecclesiasticæ potestatis, suumque complementum in ea accipiunt: Unde hæc doctrina paulò fufius proponenda, atque discrimen inter ecclesiasticam & civilem potestatem ostendendum erat, rejectâ simul fictâ istâ Rom. Pontificis potestate in omnes Christianissimi & orbis politias.

§. II. Hæc verò dum proponit *Aug. Confessio*, non abrogat Sacerdotibus legitimam potestatem, neque in locum Christiani Imperii *Politiam sacrilegam* & plus quam tyrannicam introducit, uti clamat *Andr. Fabricius Animadu. in hunc Art.*

O 2

Hanc

*Potestas ecclesiastica est fundamentum regni Papalis.*

*Pontifices hanc potestatem ad temporalem quoque in Reges & Principes extendunt.*

*Cur ultimus locus datus sit huic Articulo?*

*Aug. Conf. non adimit Sacerdotibus & Episcopis legitimam potestatem,*



*Apolog. A.*  
C. p. 292.

*Apolog.*  
pag. 293.

*Gregorius VII. formavit Papismum aulicum, vendicans sibi potestatem in Principes eorumque imperia.*

*Quid crederet oportere verum Papismum ex dictatis Gregorii VII?*

Hanc enim esse meram calumniam, rectè monuit *Apologia Aug. Conf.* in h. art. ab initio. *Nos enim, inquit, de rebus aliis in hoc articulo disputavimus. Ceterum sæpe testati sumus, nos politicas ordinationes & donationes Principum & privilegia non reprehendere. Sed utinam vicissim audirent adversarii querelas Ecclesiarum & piarum mentium. Dignitates & opes fortiter tuentur adversarii. interim statum Ecclesiarum negligunt, non curant rectè doceri Ecclesias, & Sacramentaria ritè tractari &c. Et post pauca Interjecta: Cum autem nos in Confessione, in hoc articulo varios locos complexi simus, adversarii nihil respondent, nisi Episcopos habere potestatem regiminis & coercitivæ correctionis ad dirigendum subditos in finem beatitudinis æterna. Et ad potestatem regiminis requiri potestatem judicandi, definiendi, discernendi & statuendi ea, quæ ad præfatum finem expediunt aut conducunt. Quæ potestate quid denotent Pontificii communiter, paulò altius ex eorum scriptis repetendum est. Et Gregorius VII. quidem, qui aulicum Papismum formavit ac fundavit, hanc potestatem ita describit, ut appareat, eam esse elationem ἐν πᾶσι τοῖς βασιλεῦσι, (2. Thess. II.) etiam in Politicis. Unde & quidam scriptores pontificii potestatem istam per omnipotentiam explicant. Alii per Primatum, alii autem per Suprematum exprimunt. Paulus Sarpinus rem novam novo & miro vocabulo insignire atque Totarum appellare voluit.*

§. III. Hic Gregorius VII. aliàs Hildebrandus ita dicitur lib. 2. epistolarum An. c. 10 LXXIV. *Quod Romana Ecclesia à solo Domino sit fundata. Quod solus Rom. Pontifex jure dicatur universalis. Quod ille solus possit deponere Episcopos, vel reconciliare. Quod Legatus ejus omnibus Episcopis præsit in Concilio etiam inferioris gradus, & adversus eos sententiam depositionis possit dare. Quod absentes Papa possit deponere. Quod cum excommunicatis ab illo, inter cetera nec in eadem domo debeamus manere. Quod illi soli licet pro temporis necessitate leges condere, novas plebes congregare, de Canonica abbatiam facere, & contra divi-*



divitem Episcopatum dividere & inopes unire. Quod solus possit  
 sui imperialibus insigniis. Quod solius Papæ pedes omnes Prin-  
 cipes descolentur. Quod illius solius nomen in Ecclesiis recitetur.  
 Quod unicum sit nomen in mundo. Quod illi liceat Imperatores  
 deponere. Quod illi liceat de sede ad sedem necessitate cogente  
 Episcopos transmutare. Quod de omni Ecclesia quocunque vo-  
 luerit clericum valeat ordinare. Quod ab illo ordinatus alii Ec-  
 clesia præesse potest, sed non militare, & quod ab aliquo Episcopo  
 non debet superiore gradum accipere. Quod nulla synodus abs-  
 que Præcepto ejus debet generalis vocari. Quod nullum capitulum  
 nullusque liber Canonicus habeatur absque illius auctoritate.  
 Quod sententia illius à nullo debeat retractari, & ipse omnium  
 solus retractare possit. Quod à nemine ipse judicari debeat. Quod  
 nullus audeat condemnare Apostolicam sedem appellantem. Quod  
 majores cause, cujuscunque Ecclesie, ad eum referri debeant. Quod  
 Romana Ecclesia nunquam erravit, nec in perpetuum Scriptura  
 restante errabit. Quod Romanus Pontifex, si canonicè fuerit or-  
 dinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur sanctus, restante  
 sancto Ennodio Papiensi Episcopo, & multis sanctis Patribus fa-  
 ventibus, sicut in decretis beati Symmachi Papæ continetur. Quod  
 illius præcepto & licentia subjectis liceat accusare. Quod absque  
 Synodali conveniù possit Episcopos deponere & reconciliare. Quod  
 Catholicus non habeatur, qui non concordat Romane Ecclesie.  
 Quod à fidelitate iniquorum subjectos potest absolvere. Quæ  
 omnia ideò prolixius exhibere volui, ut de affectata Romano-  
 rum Pontificum auctoritate & potestate eò melius judicari  
 possit.

§. IV. Non tamen in verbis substitit protervia Gregorii  
 VII. sed & excommunicationis fulmen vibravit in Impera-  
 torem Henr. IV. eumque insuper imperio privare ausus est,  
 absolutis subditis à juramento fidelitatis & subjectionis, quo  
 Imperatori obstricti erant. Extat de ea re hæc formula  
 apud Platinam in vita Gregorii VII. Henricum Regem &c.  
 Imperatoriâ administratione regiâque dejicio. Et Christianos  
 omnes

Gregorius  
 VII. Hen-  
 ricum IV.  
 Imperio  
 exuere au-  
 sus est.



omnes Imperio subjectos juramento illo absolvo, quo fidem veris Regibus prestare consueverant. Et in secundo anathematismo: ipsum Henricum ejusque autores vinculo anathematis colligo: atque iterum regiam ei potestatem adimo, interdictoque. Christianis omnibus illo juramento absolutis, quo fides Regibus dari consuevit, ne Henrico ulla in re obtemperent, Rudolphum in Regem suscipiant. Misit etiam Rudolpho coronam Imperialem cum superba hac inscriptione: *PETRA* dedit *PETRO*, *PETRUS* diadema *RUDOLPHO*. *Henricus IV.* se quidem opposuit *Gregorio VII.* sed infeliciter. vid. *Joh. Cluveri Epitom. Histor. pag. 509. 510. seqq. Edit. Lugd. Bat. An. 1637.* adde *Ursisii Tomum scriptorum Germania, & Apologiam Principum S. Imperii pro Henrico IV.* edit. à *Goldasto An. 1611.* Quas præterea contentiones prætenâ ista Pontificum potestas excitaverit, & quanta inde mala in orbem Christianum in vesta, loquuntur *Historiæ.* Legatur vita *Henrici V. Henrici IV. Filii,* nec non *Friderici I. seu Barbarossæ,* quem *Alexander III.* Pontifex pedibus calasse dicitur. Cujus *historiæ* fidem in dubium quidem vocat *Baronius,* Venetis interim scriptoribus *P. Justinian. l. 2. Rer. Venet. Sabellii. l. 7. Dec. 1. de rebus Venetis* eam asserentibus & confirmantibus. Plures de eare scriptores Catholicos recenset *Morneus in Myster. Iniquit. p. 721.* Non meliore fortunâ certarunt *Orto IV. & Fridericus II.* adversus *Innocentium III. Et Ludovicum IV.* s. *Bavarum* persecuti sunt. *Johannes XXII. & Benedictus XII. Carolus V.* autem, cæteris felicior discessit, is enim Româ occupatâ Pontificem *Clementem VII.* per 6. menses in custodia detinuit, effecitque, ut calamitati *Clementis* hoc insuper à quibusdam adderetur ludibrium: jam re ipsâ comprobati, Pontificem *M.* non posse errare. Neque enim egrediendi & obambulandi facultas dabatur, quanquam eo tempore non desierit prava ratiocinia instituere. Quid *Bonifacius V III.* contra *Philippum Galliæ Regem* molitus

sit,

*Hinc bella  
in orbe  
Christiano  
excitata.*

*Alexander  
III. P. M.  
Fridericū I.  
râ indignè  
habuit, ut  
prostratum  
pedibus  
calcaret.*

*Aliorum  
Pontificum  
molimina  
adversus  
Imperato-  
res.*



fit, recenset continuatio *Thuani* l. 4. ad An. 1611. nempe, non solum eum excommunicavit, sed & ex publicis Actis verba regnante *Philippo* eradi, atque in eorum locum regnante *Jesus Christo* substitui iussit, asserens ita Romanæ sedis regnum Galliæ. *Sixtus V.* in *Henricum Navarra Regem*, & *Principem Condaum* fulmen excommunicationis ita vibrat: *Exercemus arma militiæ nostræ contra duos ira filios, Henricum Borbonium, QUONDAM Navarra Regem, & Henricum, item Borbonium, OLIM Principem Condensem.* Ille hæreses ab ineunte adolescentia secutus, pertinax earum patrocinium exercuit &c. Princeps Condaus utroque parente hæretico genitus, patris & matris secutus hæreses, viam patris sui impiissimi Catholica Ecclesiæ persecutoris ingressus. Proles detestabilis ac degener familia Borboniorum. Privamus illum regno Navarra, hunc & utrumque eorumque posteros omnibus Principatibus, Ducatibus, Dominiis & feudis, honoribus & officiis regiis. Proceres, feudatorios, Vasallos & cæteros omnes, qui illis quocumque modo juraverint, ab ejusmodi juramento & fidelitatis & obsequii debito absolvimus & liberamus. Nec ignotum, *Ludovicum XII. G. R.* à *Julio II.* proscriptum, atque *Elisabetham Angliæ Reginam* à *Pio V.* (quantum in ipso,) omni regni jureprivatam, quas tamen inanes diras & bruta fulmina hi Principes & Reges sprevere; Quidam etiam obnuntiationes contrarias Romæ publicè affigi curarunt. vid. *Thuan. lib. 1.* & *Sixti V. fulmen brutum una cum Protestatione.* In numerum quoque veniat *Innocentius X. P. M.* qui Bullâ suâ *Pacem Osnabrugensem & Monasteriensem*, etiamsi juramento firmata sit, irritam pronunciare ausus est. Abstulit tamen ab anathematis fulmine, quia jamtum eo tempore istiusmodi inanis fragor Pontificum sperni cœperat. Bullam istam censurâ notavit *H. Conring. lib. 2. de Pace perpetua inter Imp. German. Ordines Religione disidentes servanda,* Fallor, an quoque gratam

*Bonifacius Philippum G. R. excommunicat.*

*Sixtus V. fulmen in Henricum Regem Navarra & Principem Condaum vibrat.*

*Julius II. & Pius V. eadē arma adversus Reges corripunt,*

*Innocentius X. protestatur contra pacem Germaniæ.*



gratam Romanæ sedi operam præstitit *Ernestus ab Eusebiis, Civis Romanus?* ante pacem Osnabrugensem scribens in iudicio de Pace Religiosa: *Omnes cooperantes paci, qualem Protestantæ desiderabant, polluere se crimine hæreseos, & uti potestate incompetente &c.* quasi scilicet solius aula Romana sit, dispicere, quæ & quales condiciones pacis religiose esse debeant. Sed hujus *Ernesti ab Eusebiis* impudentiæ *D. Job. Georg. Dorschans* opposuit Anti-erisin Theologicam, scriptum certè eruditissimum, quo *Ernesti* istius ratiunculas ita profligavit, ut in hoc genere nihil solidius reperire liceat. Plura non addo, cum hæc satis superque prodant affectatam Pontificum Rom. potestatem *translatoriam regnorum, Regumque depositariam, & uno verbo, omnium jurium majesticarum absorptivam.*

*Assentatores aula Romana partim directam, partim verò indirectam Pontifici potestatem tribuunt.*

*Potestas indirecta eadem quoad effectum est, quæ directæ.*

§. V. Mirum verò est, reperiri etiam viros doctos, omnipotentiae hujus Romanæ assentatores & defensores. Horum alii Episcopo Romano *directam & plenissimam tribuunt potestatem* in universum terrarum orbem, tum in ecclesiasticis, tum in politicis, ut de utrisque pro lubitu & sine discrimine disponere possit. Cujus opinionis Fautores vid. allegatos in *Hülsemann, Man. A. C. Diss. XIV. §. 26.* Communiter ea tribui solet *Alexandro Caverio de potestate Rom. Pontif. l. 2. cap. §. 9. 10. 11.* Quem tamen autorem rem istam per ludicrum tantum egisse, & vitilitigatione ista hinc inde instituta tanquam subtili quadam sublannatione sycophantarum papisticorum impudentiam voluisse redarguere, probabile fit ex eo, quod *Bellarminum* anathematizat propter dogma de potestate Pontificis *indirecta*, cum tamen eodem recidat, sive *directa*, sive *indirecta potestas* Pontifici asseratur. Interim mollior est vox potestatis *indirectæ*, utpote quæ facilius secularibus illudi posse hujus potestatis architecti credunt. Ita verò de potestate *indirectæ* *Bellarminus l. §. cap. 6. 7.* suam suorumque mentem

EX-



explicat. Potestatem regiam & quamvis politicam subordinatam esse Potestati Pontificiæ, non solum quoad dignitatem resultantem ex objecto cuius potestati proprio, sed etiam quoad regiminis dependentiam, ita ut in ordine ad bonum spirituale Romanus Episcopus habeat summam potestatem disponendi de temporalibus rebus omnium Christianorum, mutandi regna, eaque uni aufere & conferendi alteri, tanquam Summus Princeps spiritualis, si id necessarium sit ad bonum spirituale. Unde si ipsi ita videatur conducere, possit inhibere subditis, quò minus iuramenta fidelitatis ordinario suo Magistratui præstent, aut si jam præstitum sit, queat subditos religione iuramenti solvere, iis, ut Principem suum ejiciant, imperare, & ut alii homagium præstent, valide indicere. Idem tradit Suarez. Defens. l. 3. cap. 5. l. 6. cap. 5. & c. Quæ opinio cum Pontifici Romano deferat iudicium, quando videatur conducere, subditos liberare à iuramento fidelitatis? patet, tantum concedi Pontifici Rom. per potestatem indirectam, quantum per directam, indeque ludibrium esse, si quis eâ distinctione aliis palpum obtrudere velit, quasi indirecta & directa potestas differant. Si enim pro lubitu iudicare potest, quando contra Principes Seculares sit procedendum, pro lubitu eisdem solio dejicere potest, atque alios eligere. vid. Marc. Anton. de Dominis de Republ. Ecclesiast. lib. 6. cap. 10. Ita si Imperator ad nutum Papæ gladio temporali uti noluerit, Papa ipsum potest interficere gladio spirituali, liberare subditos ab obedientia, eique Imperium abnegare, secundum Bellarminum contra Barclajum c. 19. Nihil ergo causæ fuit, cur potius Carerii & Joh. Marta Neopolitani libri nimium de Papæ potestate exorbitantes Romæ proscripti sint, (si tamen id seriò factum,) quàm Bellarmini, cum Bellarminus idem tribuat Pontifici, quod Joh. Marta, concedit enim Papæ potestatem disponendi de rebus omnibus in ordine ad bonum spirituale. Jam uti lingua latina non differt, quod alius eam discat in ordine ad munus Ecclesiasticum, alius in ordine ad forum politicum; ita quoque potestas directa & indi-

Termino  
potestatis  
indirectæ  
Pontificiæ  
palpum ob-  
trudunt  
seculari-  
bus.



*recta* propter istiusmodi discrimen accidentale non differunt. Hinc *Sixtus V.* immeritò aduersus *Bellarminum* indignationem offendit, quod *l. 5. de R. P. c. 2. 3. 4.* docuerit, eum non habere directè potestatem merè temporalem ex *Jure Divino*. Nam nemo omnium, dicente *Barclajo de Potest. Pap. c. 13.* Pontificie partitiones aut diligentius collegit, aut argutius proposuit, aut brevius & subtilius conclusit, quam insignis Theologus *Bellarminus*, qui licet, quantum honestè potuit, & plus etiam quam debuit, *Papa* auctoritati in temporalibus tribuit: Satisfacere tamen non potuit ambitioni imperiosissimi hominis *Sixti V.* qui se supremam in omnes Reges & Principes Universe Terræ, cunctosque populos, gentes & nationes, non humanà, sed divinà institutione sibi traditam potestatem obtinere affirmabat. Itaque parum absuit, quin omnia *Doctoris* illius opera, quæ hæresin summo hodie successu oppugnant, Pontificia censura magno cum Ecclesia detrimento aboleret, ut illius *Ordinis Patres*, cujus tunc erat *Bellarminus*, serio mihi narrarunt.

*Sixtus V.*  
malam  
*Bellarmini*  
no gratiã  
rependit.

*Doctrina*  
*de Potestate*  
*Pontificum*  
est contra  
fidem, &  
turbat  
tranquilli-  
tatem pu-  
blicam.

*Bellarmini*  
liber de po-  
testate Pon-  
tificis da-  
mnatus est  
à Parla-  
mento *Pari-*  
*seni.*

§. VI. Quicquid ergò dixeris, siue directam, siue indirectam Pontifici tribuas in his rebus potestatem, doctrina hæc est impia & plena seditionis, nam & fidem corrumpit læditque bonos mores, & pacem publicam. Prodiit ex hac doctrina arcanum Jesuiticum, Reges Tyrannos occidi posse & quolibet privato, vid. *Suarez lib. 6. cap. 4. sect. 12. aduersus Sect. Anglic.* Ortum quoque suum eidem dogmati debet *Conspiratio sulphurea* in Anglia, cum *Papistæ* Ann. 1605. Domum *Parlamentariam*, unà cum *Proceribus*, Rege & Prole Regia subiecto pulvere nitrato incendere & perdere voluere. Profluxit ex eodem fonte *Cædes Henrici IV.* patrata à *Ravaillac.* Hinc exitiali huic Doctrinæ ferro & igne obviam eundem esse, multorum Catholicorum quoque sententia est. Extat *Parlamenti Lutetiani* placitum, quo damnatus liber *Bellarmini* scriptus aduersus *Barclajum* de potestate Summi Pontificis, continens falsam & execrabilem propositionem, quæ ad everisionem potestatum à DEO constitutarum & ordinarum per-



pertinebat, subditos acuebat ad rebellionem, & Principum Imperio subtrahere, ad machinandum in eorum capita ditionesque, ad turbendam denique tranquillitatem & quietem publicam incitabat. vid. Grammond l. i. Hist. Gall. p. 10. Damnauit quoque Facultas Theologica Parisiensis Antonii Santarelli librum de *Heresi, Schismate &c.* Eò quod continebat doctrinam novam, falsam & erroneam, verbo Dei contrariam, pontificia dignitati odium conciliantem, schismati occasionem præbentem, Supreme Regie autoritati à solo Deo dependenti, derogantem, pacis publica perturbatiuam, Regnorum, Statuum Rerumque publicarum eversiuam, subditos ab obedientia & subiectione auocantem, & ad factiones, rebelliones seditiones & Principum pericidia excitantem. Confirmauit hoc iudicium *Universitas Paris. d. 12. Maji 1626.* cum antea *Parlamenti* decreto ille liber ad rogam damnatus esset. *Grammond. l. 10. Hist. Gall. p. 675. seqq.* Si quis dixerit, opinionem Santarelli esse singularem, & Unius Jesuitæ, nec aliis imputandam. Illi ego regeram, *Bellarmini* & aliorum Jesuitarum eandem esse mentem, atque sub verborum involucris ab iis doceri, quod larvâ detractâ Santarellus audacter prodit. Deinde liber Santarelli typis impressus est Romæ, cum approbatione *Generalis Jesuitarum.* Et quomodo tergiversati sint Jesuitæ Parisienses, antequam Scripto hanc doctrinam improbarent, notum est ex vasto responso, quod pridie Senatui dabant, & quo non obscure significatur, communem esse hanc doctrinam Jesuitarum & Curie Romanæ. Inquisiti enim, *Cum Generalis librum approbasset, & vera censuisset, quæ eo continentur, an idem illi crederent?* Responderunt: *Qui Roma degit Præpositus noster Generalis, vix est, ut improbare possit, quod Roma probat.* Inquisiti: *illi sua est opinio, vestra quanam est?* Resp. *Planè illi contraria.* Inquisiti: *Quid si essetis Roma?* Resp. *mutaretur nobis cum cælo animus, sentiremus ut Roma.* Ad quæ verba Senatores quidam, *Quid ergo, ajunt, aliam habetis conscientiam Lutetiæ, aliam Roma?* *Seruet nos DEUS à talibus Confesso-*

*Eadem censurâ notatur liber Santarelli, & servi publici manu in ignem datur.*

*Santarelli opinio non est unius Jesuitæ, & privata.*

*Jesuitæ Parisienses vase respondent de libro Santarelli, tandem eum improbant.*



*Galli Pontificum conatibus animosè semper obstiterè.*

*Cur in Concilio Trid. Articulus de potestate Papa in Disputationem non fuerit adductus.*

*Proponuntur tres Objectiones ex Bellarmino.*

*fessoribus.* Ita Galli Pontificum conatibus semper generosè obstiterè, imò *Gregorii XIV. Pontificis* Bullam continentem *Henrici Regis & Ministrorum* ejus excommunicationem tradidere carnifici comburendam, atque nuncium *Landrianum* inanes istas diras denunciante[m] comprehendi jussere. Sancitum insuper à Parlamento, jussu *Regis Gallia, An. 1665.* ne imposterum Bulla aut Breve ex aula Romana reciperetur, aut distraheretur, nisi Rege conscio. In Gallia ergò hæc Pontificum Maxima: *Autoritatem obtentu Libertatis Ecclesie sanctam teclam servandam esse,* eluditur, atque ipsi Pontifices, *ut res se dant, ita humiles vel magni sunt.* vid. *Thuan. l. 1.* Ubi ingenium Aulæ Romanæ ita describitur, ut exquisitâ severitate, cum impunè licet, in Exteros utatur, *eaque severitas eorumque valet, quousque vel infirmitate, vel Religionis metu tollitur.* Et si quis Princeps existat, qui neutro attineatur, *cautè summâ dissimulatione ista severitas cohibetur.* Olim in Concilio, Tridentino eadem cautio adhibita fuit, ut de potestate Pontificis nulla fuerit instituta disquisitio, nec licuerit Legatis Pontificis eam in discrimen adducere, facile enim prævidere poterat Aula Romana, irritum fore omnem in hoc negotio conatum, quanquam interea usurpatione & facto Pontifices non desierint eam potestatem subinde exercere. vid. *Paul. Sarpii Histor. Concil. Trid. lib. 4. & 6. in primis p. 313. 485. 577. Edit. Gallic. Amsterd. de An. 1686.*

§. VII. Operæ pretium autem est, examinare quasdam rationes à *Bellarmino* productas, quibus istam Episcoporum s. Episcopi Rom. Potestatem stabilire conatur. Urget primò, *Potestatem politicam esse subiectam Ecclesiasticæ, quia illa hæc est inferior, & subordinata, & Ecclesiastica finem habet vitam æternam: politica verò bonum temporale, minus bonum autem subordinari majori.* 2. *Christianis non licere tolerare Regem infidelem & hereticum, si subditos velit ad infidelitatem & hæresim pertrahere. Num verò pertrahat ad hæresim, solius Papæ est judicare, cui concredita est cura Religionis.* 3. *Reges & Principes cum ad Eccle-*



Ecclesiam veniunt, recipi cum pacto expresso vel tacito, ut scepra sua subjiciant Christo, & polliceantur, se Christi fidem servaturos & defensuros, sub pœna regna perdendi. Respond. ad 1. Politicam potestatem esse Ecclesiasticam subjectam, verum est, si intelligatur potestas Ecclesiastica Episcopis à Deo data. Ea verò non est alia, quàm potestas remittendi peccata, rejiciendi falsa dogmata, atque notoriè impios & impenitentes arcendi à communione Ecclesiæ, sine vi humana, sed verbo, uti verba confessionis sonant artic. 7. Hinc si Reges & Principes contra Dei verbum aliquid admittant, quod animarum saluti & publicæ tranquillitati obest, Episcoporum vel aliorum Ministrorum est, eos redarguere, atque ex formula officii eos ad agnitionem peccati & pœnitentiam reducere. Et si nullum alium reportent fructum, tamen animam liberasse dicendi sunt, Ezech. III, 19. Eo ergò in casu rem Dei judicio committere debent. Ulterius jurisdictio Episcoporum de Jure Divino se non extendit. Atque hinc necessariò Ecclesia & cuncta ejus membra illis præstare debent obedientiam, secundum illud: *Qui vos audit, me audit.* Verùm his limitibus non contentus Bellarminus, Reges & Principes eorumque imperia & Principatus potestati Ecclesiasticæ quoque subjicit, ut imperia iis adimere, & subditos juramento fidelitatis absolvere possit, qualis potestas nullibi Episcopis in scripturis concessa legitur, quin potius contrarium in iis reperitur *Matth. XX, 25. Marc. X, 42. Luc. XXII, 25.* Ubi discipuli atque omnes Ecclesiæ Ministri opponuntur Regibus temporalibus, quod hi imperium in gentes exercent; *Ecclesiæ verò Ministrorum sit servire & ministrare.* Pontifex ergò, quæ talis, & ut Ecclesiæ Episcopus Reges de solio etiam justa de causa non potest dejicere, neque leges in alieno territorio vel confirmare, vel abrogare. Quod si verò Papa leges civiles condat, in iis Terris, quas ex largitionibus Principum, aut alio titulo possidet, id agit tanquam Princeps secularis istarum ditionum. Respond. ad

Solvitur  
prima.

pag 40.

Arrogata  
Pontificum  
potestas pugnat cum  
S. Scriptura.

Papa consideratus ut  
politicus  
Princeps  
leges in suis  
Terris ferre  
potest.

2. Judi.





*Secunda  
objectio  
enervatur.*

*Papa non  
potest judi-  
care, an  
Rex sit de-  
ponendus  
nec ne?*

*Princeps  
ideò quia  
est infidelis  
aut hereti-  
cus, non est  
deponendus.*

*Respond.  
ad 3. obj.*

*Dictum  
Matth XVI,  
19. malè  
allegatur  
pro asseren-  
da Potesta-  
te Pontifici  
in Reges &  
Principes.*

2. Judicare, quis sit hæreticus, non est solius Papæ, sed cujusvis Ecclesiæ Doctoris, qui tale judicium format ex verbo Dei revelato. *Deinde* ex eo, quod Episcopus judicat, Principem esse infidelem vel hæreticum, non sequitur, ab eo quoque Principem Imperio exui posse. Privatio enim Imperii non est objectum Ministerii Ecclesiastici, indeque judicium, an Rex solio deiciendus sit, nec ne, non convenit Episcopis sed Reipublicæ, & ex ejus Legibus fundamentalibus petendum est. *Præterea*, Principem hæreticum aut infidelem non esse tolerandum, est audax assertum, & contra praxin primitivæ Ecclesiæ. Tempore Christi enim & Apostolorum & longè post, *Imperium Rom.* habuit Imperatores infideles, quos tamen nec Christus, nec Apostoli deponi jufferunt, contrarium potius jussit *Paulus Rom. XIII, 1. seq.* *Omnis anima potestati subiecta sit.* vid. *Barclajus de potestate Papæ in Principes Christianos c. XX fol. 159. seq. & Hulfeman. Man. A. C. Diss. XIV. p. 661. seqq. 669.* ubi ex Scriptoribus Pontificiis probat Principibus etiam infidelibus in rebus politicis sine exceptione obediendum esse. *Resp. ad 3* Si Rex vel Princeps passus fuerit, capitulationi aut pactis hanc conditionem inseri, nondum tamen sequitur, quod Papatalem deponere possit. Neq; enim Jus Divinum ei hanc potestatem asserit. vid. iterùm *Barclajus c. XXIV.* In rei probationem quidè allegatur *Matth. XVI, 19. Quodcumq; ligaveris, quodcumq; solveris,* indeq; oppidò concluditur, *E. Pontifex Rom.* juramenta quoque legitimo Magistratui præstita solvere, & Reges deponere potest. Quodsi verò consideretur, Salvatorem ligari & solvi jussisse peccata, non legitima juramenta *Johan. XX, 21. Matth. XIX, 18.* patebit, malè hic Scripturam allegari. Cæterum quod hic Petro datum, id toti Ecclesiæ ejusque Pastoribus concessum est; quam in rem scribit *Augustinus Tract. 124. in Johann. fol. m. 286. Edit. Hagenavv. An. 1521. Quod ad Petrum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus: abundantiore gratia, unus idemque primus Apostolus. Sed quando ei dictum est: Tibi dabo claves regni cælorum, & quod-*



cunque ligaveris super terram, erit ligatum in caelis; & quodcunq; solveris super Terram, erit solutum & in caelis, *Significabat Ecclesiam &c.* Quod præterea Pontificii de exemplis depositorū à Pontifice Regum & Principum gloriantur, id nulum jus iis tribuit, & factum Pontificum non facit fidei Articulū, inquit *Barclajus c. XL. de potestate Papa.* Imò his factis ostenderunt Pontifices, se non fuisse Dispensatores mysteriorū Dei, sed Dissipatores gregis Dominici. Antequā verò hanc thesin claudam, non præter rem erit, quosdā adhuc exhibere flosculos ex *Jesuitarum Doctrina, de directa s. indirecta Rom. Episcopi in Reges potestate pullulantes.* Si enim *de Regnis disponere potest, quantum ei ad Regimen Ecclesiæ utile videtur; si ligare & solvere potest, quodcunq; vult* Et si potest, Reges regere in *Virga ferrea &c.* Quæ pacta, stante hac Doctrina, inter Protestantes & Pontificios firma erunt & valida? *Ultimum enim & decisivum judicium, num pacta ista profint Ecclesiæ Romanæ vel non, est penes Pontificem, qui, uti omnia, ita & fœdera quoque solvere potest.* Et si Laici Papistarum abominentur istam doctrinam, protestenturq; contra hanc Papæ potestatem; Annon vi hujus doctrinæ hanc quoq; protestationem solvere possit? Fac autē, ipsum Papam consentire in pacta; Num etiam illius Successores consentient? Notum enim est, eos nolle obligari ad decreta decessorum ratihabenda. *c. ad Conditorem Extravag. de Verb. signif. c. quia sancta, dist. 63. c. licet de Constit. in Sexto.* Esse verò doctrinam illam Jesuitarum pro publica Aula Rom. habendam, ex approbationibus & censuris factis à Papæ Vicariis & Generalib; ordinū constare poterit, vid. plura apud *Dannb. Hodom. P. Phant. II. p. 643. seq. Hülfem. Man. A. C. Disp. XIV. p. 655. seq. Rivet. T. 3. Oper. in Jesuita Vapulante c. XII. p. 532. seq.*

§. VIII, Proponitur hoc Articulo & alia quæstio: num *Episcopi jus habeant instituendi ceremonias in Ecclesia, & leges de cibis, feriis, gradibus Ministrorum s. ordinibus condendi?* Simulque recensetur, quàm onerosæ & intolerabiles sint quædam observationes ab Episcopis imperatæ. Et ista licentia

*Ex Jesuitarum doctrina de Potestate Pontificis Resequitur, nulla pacta esse firma & valida.*

*An Episcopi jus habeant instituendi ceremonias, condendi leges &c?*



centia eò progressa est, ut *fastorum* quoque *constitutionem* per orbem Christianum sibi vendicavit. Quæ res non solum magnos motus in Germania dedit, uti constat ex *Chyriai Saxon. l. 26. p. 741.* Sed & Turcis suggestit aliquam seviendi materiam. Auferebantur enim è mense Octob. decem dies. *Cela fut fait*, inquit *Jsaac Hugues Traitté Astronomique pag. 145.* l'an 1582. au mois d'Octobre, auquel mois le dit Pape Gregoire XIII. estoit né, si bien, qu'au lieu de conter le cinquième d'Octobre, on commença à conter le quinzième; ainsi sans bruit s'eclipserent dix jours, durant lesquels on ne vit ni Soleil ni Lune. Narrat Joh. Cluverus *Epit. Histor. pag. 740. b.* Approbato à Byzantino Patriarcha *fastos Pontificis*, argumentum inira *conspirationis* præbuisse *Amurathi*, qui ob id Patriarcham expulerit in exilium & duo Christianis *templa Constantinopoli* eripuerit. Sed hoc longè tolerabilius erat, quàm aliis rebus onerari conscientias, de quibus publicæ prostant querelæ, quod nempe multi dies festi instituti sint in honorem Sanctorum, & in memoriam rerum nunquam *gestarum*, indicta jejunia, tanquam cultus necessarius. Quæ omnia proinde merito improbant confessores §. *Verum exstant* seqq. neque ab ullo homine institui possunt. Si verò ceremoniæ considerentur, uti faciunt ad ordinem in Ecclesia, tum tota quidè Ecclesia eas instituendi facultatem habet, non autem hic vel iste *Episcopus* pro suo arbitratu, hoc enim esset *dominari & imperare Ecclesis*, über das Volk herrschen / quod confessio circa finem ex *1. Petr. V, 3.* improbat. Et quamquam Episcopi in quibusdam locis eâ polleant potestate, illam tamen, tanquam jure divino sibi competentem, nunquã probare possunt. Plura non capit *brevis Dissertatio*, cujus metam nolo transgredi. *Epilogus* etiam ejusdem ferè tenoris est cum eo, qui parti primæ A. C. annectitur.

Quare non erit opus, eum hic fusiùs explicare.

F I N I S,

*Nova fastorum constitutio quos motus pepererit?*

*Si ceremonia institui debent, à tota Ecclesia id fieri debet.*





# INDEX

In DISSERTATIONES

## Super VII. Artic. August. Confess. de ABUSIBUS MUTATIS.

A.		Castitas quid notet.	78
<b>A</b>	Abusus Papistici meritò ab- rogati fuerunt.	Calus reservati ex mente Pon- tificiorum vel reservantur soli Pontifici, vel omnibus Episcopis, & quinam illi sint.	48
--	describuntur & recensentur.		
--	sunt magnimomenti.		
--	in certas classes distribuuntur.	Calus reservati Jure Divino quidem nulli dantur, dantur tamen aliqui jure humano ad conservandam disciplinam Ecclesiasticam.	56
	Alexander III. P.R. Fridericum I. Imperatorem tam indignè habuit, ut prostratum pedibus calcaret.	Ceremoniæ non nisi à tota Ecclesia institui possunt.	107. 108
	Articulus fundamentalis regni Papalis est articulus de Potestate Ecclesiastica.	Coelibatus cur in Papatu Clericis indictus sit?	6. 16. 17
B.		- Clericorū utrum Juris Divini an humani sit, ipsi Pontificii disputant.	19
	Baptismus est votum N.T. omnibus commune, continetque virtualiter omnia quæ voveri possunt.	-- impugnatur.	24. 80
C.		Communio sub una cur tam acriter à Pontificiis defendatur.	6. 10. 11
	Calendarium Romanum quos motus pepererit.	-- refutatur.	11. 12
		Q	Con-





Concordia inter nostram & Romanam Ecclesiam nunquam speranda.	6.7	Papismum Aulicum. Henricum IV. Imperatorem excommunicavit.	96 97
Confessio peccatorum vera retinetur in Ecclesiis nostris.	46	I. Jejunia Pontificiorum improbantur & refutantur.	63. seq.
-- in ea non requiritur specialis omnium peccatorum enumeratio.	47	-- Cur in Anglia retenta sint?	65
-- nisi in certo casu.	53. 54	Jesuitæ juramenta irrita declarant, quanquam de re possibili concepta fuerint.	83
Confessio auricularis apud Pontificios, quam pluribus sciatet abusibus.	43	-- Eam Pontifici R. potestatem tribuunt, ex qua sequitur, nulla pacta esse firma & valida.	107
-- inprimis questuosa est.	43. 45	L. Lutherus statuit, frustra sperari Concordiam inter Ecclesiam Romanam & Protestantium in Doctrina fidei.	6.7
Conjugium Clericorum defenditur.	19. - 24	-- Non fuit votifragus.	82
Confilia de reducenda unione Ecclesiastica inter Protestantes & Pontificios.	7	M. Melanchthonis nimia facilitas erga Pontificem R. notatur.	8. 9
-- judicium de his consiliis.	7. 8	Minister Ecclesie confitentem à peccatis occultis, etiam enormibus absolvere potest.	55
Curia Romana pro servandis suis abusibus acrius pugnat, quam pro dogmatibus fidei.	6	Missa vox unde derivetur?	29. 32
D.		Missa quo sensu in ecclesiis nostris retineri dicatur.	32. 33
Doctrinales abusus.	5	Missa	
E.			
Errores Pontificiorum non sunt extenuandi.	7		
G.			
Gregorius VII. P. R. fundavit			





- Missa in Ecclesijs Pontificiorum turpiter contaminata est.* 33  
 -- *ad quæstum composita est in Papatu.* 34  
 -- *Ejus apparatus & gesticulatoria apud Pontificios celebratio graphice describitur.* 34. 35  
 -- *Non est sacrificium proprie sic dictum.* 35. 38  
 -- *Indeque nec est sacrificium propitiatorium.* 38. 39  
*Nec impetratorium.* 39  
 -- *Pro defunctis oblata & solitaria improbat.* 40  
 Monachi & Moniales unde nomen acceperint? 76  
 P.  
 Papismus *Aulicus à Gregorio VII. Pontific. R. fundatus est.* 96  
 Peccatum *veniale in sensu Pontificio nullum datur.* 48. 49  
 Pontifex *R. quam sibi potestatem arroget.* 95 - 97. 102  
 -- *Non potest judicare, an rex sit deponendus.* 106  
 -- *ei superioritas in Ecclesijs & Episcopos nostros in id concedi non potest.* 8. 9  
 Pontificum *R. quorundam incontinentia & libido notatur.* 21. 22  
 Pontificum *R. molimina adversus Imperatores recensentur.* 97  
*In specie Pontifex Gregorius VII. formavit & fundavit Papisimum aulicum.* 96  
*Henricum IV. Imperatorem Imperio exuit.* 97  
 -- *Alexander III. Fridericum I. tam indigne habuit, ut prostratum pedibus calcaret.* 98  
 -- *Bonifacius VIII. Philippum Gall. Regem excommunicavit.* 99  
 -- *Sixtus V. fulmen in Henricum Navarra Regem & Principem Condaem vibravit.* *ibid.*  
 -- *Julius II. Ludovicum XII. Gall. Regem & Pius V. Elisabetham Angl. Reginam proscripterunt.* *ibid.*  
 -- *Innocentius X. protestatus fuit contra pacem Osnabrug. & Monaster.* *ibid.*  
 Potestas *Ecclesiastica est artic. fundamentalis Regni Papalis.* 95  
 Prin-





Princeps ob hæresim vel infidelitatem non est deponendus.	106	Syncretismus inter Ecclesiam Romanam & Protestantium frustra speratur.	6. 7. 8
Procesiones Papisticae improbantur.	3. 12	V.	
Pufendorffius Concordiam Ecclesiasticam s. syncretismum judicat impossibilem.	7. 8	Vota unde dicantur?	76
-- Eleganter describit rationem status aulæ Romanæ circa Cælibatum Clericorum.	17	-- quænam in N. T. licita sint.	76. 77
Circa Missam.	34	Voti liciti requisita quænam sint.	81
Circa Confessionem auricularem.	44. 45	Vota Monastica unde originem habeant.	79
Circa vota Monastica.	80	-- tendunt ad stabiliendam Potestatem Pontificis R. ibid.	
		Votum castitatis s. cælibatus non est licitum.	80. 81
		-- unde etiam rescindi potest.	82

S.

Sacerdotum Papisticorum in continentia & impuritas notatur.	19. 21. 22
Sacramenta non conferunt Gratiam ex opere operato.	40
Sacrificii vox variè accipitur.	35
-- Quid in specialissima & propriissima significatione notet, definitur.	36
Santarelli liber de hæresi & Schismate in ignem datus.	103

INDEX

DICTORUM SCRIPTURÆ, quæ in part. II. Aug. C. allegata & explicata sunt.			
	Cap.	vers.	pag.
Dan.	XII.	38.	32.
Matth.	XVI.	19.	106.
	XIX.	12.	84.
		27.	23.
Marc.	X.	28.	23.
I. Corinth.	VII.	2.	80. 81
I. Timoth.	IV.	1. 3.	66.







## RESPONDENTIUM

Vices in prima Editione Dissert. super Art. Aug. Conf.  
de ABUSIBUS MUTATIS  
sustinuerunt.

IN DISSERT. I. JOH. HARTMANNUS *Streithoff* / Gemundâ-Hassus, h.t. Verbi Divini Minister in Ucht.

IN DISSERT. II. MARTINUS *Sander* / Rinteliensis, hodie Con-Rect. Scholæ Rintel.

IN DISSERT. III. HERMANN. ADOLPH. *Müller* / Rinteliensis, Minist. Candidat.

IN DISSERT. IV. CHRISTIANUS *Steding* / Oldendorpio-Schaumburgicus, Pastor Primarius in Patria.

IN DISSERT. V. JUSTUS HUGO *Steding* / Oldendorpio-Schaumburgicus, Verbi Divini Minister in Ottenstein.

IN DISSERT. VI. CHRISTOPH. HENRICUS *Duncker* / Hamelsburgensis, Pastor in Bissendorff / in Episcopatu Osnabrugensi, nunc beatè mortuus.

IN DISSERT. VII. JOH. WILHELM. *Duncker* / Hamelsburgensis, Pastor in Fuhlen in Comit. Schaumburg.





1785

RESPONDENTIUM

Vices in prima Editione...

de ARUSIBUS MILITATIS

in hoc...

In Dissertatione I. JOH. HARTMANNI...

In Dissertatione II. MARTINIUS...

In Dissertatione III. HERMANNI...

In Dissertatione IV. CHRISTIANI...

In Dissertatione V. JUSTI HUGO...

In Dissertatione VI. CHRISTOPH. HENRICI...

In Dissertatione VII. JOH. WILHELM. SÄNDLER...






Jg 1895




20


















ARTICULI  
AUGUSTANÆ  
CONFESSIONIS,  
DE  
MUTATIS  
ABUSIBUS,

VII. *Dissertationibus Publicis*  
In Academia RINTELIENSI

Præpositi

à

JOHANNES KAHLER,

S. Theol. Doct. ejusdemque Profess. Primar.

& Mathemat. Ordinar.



RINTELII,

Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typogr.  
An, MDCCXI.

